

Google



Quaestiones archaicae

I. De A. Gellio veteris sermonis imitatore
II. De Ennii Euhemero



Dissertatio inauguralis quam amplissimo philosophorum Vratislaviensium ordini probatam ad summos in philosophia honores capessendos emittit

Fritz Hache
Vratislaviensis



Die XII. mensis Octobris anni MCMVII. hora 12½ in aula Leopoldina doctorandus disseret de Lucani arte in dialogis componendis conspicua, deinde erit promotio



Vratislaviae
Typis R. Nischkowsky
MCMVII

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
Franciscus Skutsch

Examen rigorosum habitum est die X. mensis Iulii MCMVII

Francisco Skutsch

sacrum

Pars I.

De A. Gellio veteris sermonis imitatore quaestiones selectae.

Praefatio.

Quid Gellius de veterum imitatione censuerit.

Si cognoscere volumus quam rationem scribendi Gellius adhibuerit, primum ea quae ipse de studio suo dixit, comparanda atque intellegenda sunt. Gellium qui parti eorum se addixit qui saeculo p. Chr. secundo in veterum imitatione omnia ponebant miramur interdum Frontoni qui quasi illorum dux atque signifer erat paene obloqui, cum in eos invehatur qui obsoletis locutionibus utuntur, velut Favorinum, cuius item sectator erat, graviter increpuisse (I, 10) adulescentem *casce nimis et prisce loquentem* narrat, cum, ut Gellii verba afferam, diceret: *vive moribus praeteritis, loquere verbis praesentibus atque id quod a C. Caesare*[1]*, excellentis ingenii ac prudentiae viro, in primo de analogia libro scriptum est habe semper in memoria ac pectore, ut tamquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum*[2]. Item causarum actorem quendam, qui in foro *verbis antiquissimis relictisque iam et desitis* uteretur, ita vituperat (XI, 7, 1): *verbis uti aut nimis obsoletis exculcatisque aut insolentibus novitatisque durae et illepidae par esse delictum videtur. Sed molestius equidem culpatiusque esse arbitror verba nova, incognita, inaudita*

---

[1]) De hoc loco cf. Hertz Vindiciae Gellianae alterae Fleckeis. Jahrb. VII. spp., Lips. 1873—75, p. 83 sq.

[2]) Hoc Caesaris verbum Favorinus sententia paulum deflexa in suum usum vocasse videtur; cf. Norden, Kunstprosa, p. 188.

quam involgata et sordentia. Nova autem videri dico etiam ea quae sunt inusitata et desita etsi sunt vetusta.

At multo plures sunt loci, quibus de antiquiorum scriptis Gellius et Fronto idem fere iudicant. Conspicitur id cum in eis quos vituperant tum in eis quos laudant.

Ut Fronto Gellius summis castigationibus Senecam afficit, qui Ciceronis genus scribendi *vitiaverit* (XII, 2). Ubi tamen advertimus eum paulo clementius de Seneca iudicare quam Frontonem. Nam quamquam uterque Senecae scribendi genus reicit atque aspernatur, hic de nonnullis quae ille bene fecerit contumeliose dicit (p. 157 N): *etiam lamminae interdum argentiolae cloacis inveniuntur; eane re cluacas purgandas redimemus?* Gellius autem, quamquam idem fere scribit, tamen verborum illas contumelias omittit cum dicit (XII, 2, 14): *Audias commemorari ac referri pauca quaedam, quae idem ipse Seneca bene dixit quale est illud . . . Benene hoc? bene sane, sed adulescentium indolem non tam iuvant quae bene dicta sunt quam inficiunt quae pessume* ctt. Quod Gerckius[1]) putat Gellium hoc loco Quintiliani autoritatem sequi, hanc opinionem nullis documentis fulsit.

De Cicerone ii qui tum veterum sermonem affectabant certi quicquam iudicasse non videntur, ut Fronto de eo iudicans et a se et a Gellio differat. Ille enim Ciceronem ita vituperat (p. 63 N): *in omnibus eius* (sc. Ciceronis) *orationibus paucissima admodum reperias insperata atque inopinata verba, quae non nisi cum studio atque cura atque vigilia atque multa veterum carminum memoria indagantur,* quamquam alio loco (ep. ad Anton. imp. et inv. II, 5 p. 107 N) eum laudat cum dicit: *omnes Ciceronis epistulas legendas censeo mea sententia vel magis quam eius orationes,* cui Ciceronis laudi Gellius assentitur cum scribit (X, 3, 15): *Si quis est tam agresti aure et tam hispida, quem lux ista et amoenitas orationis verborumque modificatio parum delectat . . .* Aeque alibi summa ira inflammatus haec verba quae nobis paene risum movent facit (XVII, 1): *Ut quidam fuerunt monstra hominum, quod de dis immortalibus impias falsasque opiniones prodiderunt, ita nonnulli tam prodigiosi tamque vecordes exstiterunt, in quibus sunt Gallus*

---

[1]) Gercke Fleckeis. Jahrb. spp. 22 (1896), p. 142 sqq.

Asinius et Largius Licinus, cuius liber etiam fertur infando titulo Ciceromastix, ut scribere ausi sint M. Ciceronem parum integre atque improprie atque inconsiderate locutum.

Sed si omnia complectimur omissis illis, ubi non satis perspicimus quibus rebus illi adducti sint ut tam contraria inter se de iisdem rebus dicant, videmus Gellium a partibus archaistarum (si hoc verbo uti mihi licet) stare ut prorsus cum Frontone concinat[1]), id quod imprimis percipimus, si spectamus quantum Catonis auctoritas apud eum valeat. Nam Cato Frontoni et eis qui eum magistrum sequebantur specimen esse videbatur elegantiarum. Quem quantopere venerati sint *patronum* Marci Caesaris verba testantur (Fronto p. 36 N): *uni M. Porcio me dedicavi atque despondi atque delegavi,* qui alio loco eius scribendi genus *dulce incorruptum ac pudicum* esse iudicat (Fronto p. 213 N)[2]). Quibus similia apud Gellium ipsum legimus, nam Catonis orationem quam in Galbam habuerat scriptam esse dicit (I, 23, 1) *cum multa quidem venustate atque luce atque munditia verborum.* Apud eundem esse dicit (X, 3, 15) omnia *incorrupta, brevia et non operosa sed nativa quadam suavitate* praedita, quamquam hoc in capite nonnulla invenimus quibus Catonis laudi modum quendam videtur adhibere. Sed quantum Catonis opera triverit intellegimus, si magnam fragmentorum copiam apud eum servatorum respicimus, praesertim cum inter omnes constet Gellium Catonis libros ipsum inspexisse[3]).

Reliquos scriptores quorum sermonem imitatur, ut locutiones eorum praeter ceteras orationi suae inserat, cum aliis locis enumerat tum in XXI. cap. lib. V, ubi praeter Catonem Claudium

---

[1]) Ut rationem intellegas qua veteres imitandos esse censeant cf. Frontonis verba (p. 63 N) quae iam supra p. 2 attuli et Gellii qui amicum quendam virum, ut ipse dicit, adprime doctum, formas *pluria* et *compluria* a reprehensore quodam defendentem facit cum quaerit (V, 21, 6): *velim doceas nos . . . cur barbare dixerint M. Cato, Q. Claudius . . . quos subscriptores approbatoresque huius verbi habemus praeter poetarum oratorumque veterum multam copiam* cui ille respondet: *tibi habeas illas auctoritates ex Faunorum et Aboriginum* (de his verbis cf. XVI, 10, 7) *saeclo repetitas atque huic rationi respondeas.*

[2]) cf. etiam Gell. XIII, 20 et XIV, 2, 21.

[3]) cf. Hosius in ed. praef. p. XVII.

quoque affert, Valerium Antiatem, L. Aelium, P. Nigidium, M. Varronem[1]) *praeter poetarum oratorumque veterum copiam*[2]). Quibus addo Calpurnium Pisonem, quem quanti aestimaverit ex his verbis colligere possumus (VII, 9, 1): *Quod . . . ea res perquam pure et venuste narrata a Pisone, locum istum totum huc ex Pisonis annali transposuimus* . . . et (XI, 14): *Simplicissima suavitate et rei et orationis L. Piso Frugi usus est in primo annali.* Similiter laudatur illorum quos supra p. 3 attuli Q. Claudius Quadrigarius, quem *sincerissimum* et *optimum* scriptorem appellat (XV, 1, 4), qui T. Manli pugnam illam *purissime atque illustrissime simplicique et incompta orationis antiquae suavitate* descripserit (IX, 13, 4), cf. Frontonis verba (Gell. XIII, 29). Praeterea satis habeo attulisse C. Gracchum et Metellum Numidicum (XVII, 2, 5—6 *Met. Num., qui caste pureque lingua usus Latina videtur*).

Iisdem fere laudibus quibus Catonis et reliquorum prosae orationis scriptorum genus dicendi poetas quoque separatim effert, cum de Naevii, Plauti, Pacuvii *nobilitate* ac *venustate* scribendi loquatur (I, 24, 1) neque aliter videmus eum de Ennio iudicare (II, 29, 20): *hunc Aesopi apologum Q. Ennius in satiris scite admodum et venuste composuit* neque de Plauto (VI, 17, 4): *Plautus . . . homo linguae atque elegantiae in verbis Latinae princeps,* cf. I, 7, 17; VII, 17, 4; XIX, 8, 6[3]).

Eis quae sequuntur demonstraturus sum Gellium illam quam saepe exposuit archaistarum rationem in scribendi usu adhibere.

---

[1]) Varronem arte scribendi veterum vestigia sequi non desiisse neque Cicerone, 'perfectore illo dicendi', magistro usum esse Norden, Die antike Kunstprosa, Leipzig 1898, p. 195 sq., docet et meis quoque quae sequuntur explicationibus apertum fore spero; de Nigidio certi quicquam iudicari non potest.

[2]) cf. M. Hertz, v. G. a. p. 20.

[3]) cf. Lorenz Plaut. Most.[2] 1883 ed. praef. p. 31 adn.

De veterum scribendi ratione a Gellio imitatione expressa.

Iam videamus qua arte usus Gellius eorum quos supra commemoravi scriptorum sermonem imitatus sit, sed non tam de verbis singulis, de quibus iam a doctis viris optime disputatum est, quam de locutionibus quas ab antiquis scriptoribus mutuatus est dicturus sum [1]).

I.

De eis sermonis proprietatibus quas e vetustioribus se expressisse ipse testis est.

Ac primum quidem nonnulla afferam quae a se ex antiquioribus scriptis assumpta esse propemodum ipse videtur dicere Gellius. Nam formas quasdam verborum et compositiones quae ei non iam apud volgus usitatae esse videbantur, ubi eas veterum exemplis allatis firmare poterat, ipse quoque adhibuit. Quae exempla quamquam ab aliis iam magnam partem investigata sunt, tamen mihi liceat proferre neque enim abs re esse puto disiecta colligere.

Gellius ex Claudii annalibus affert (XVII, 2, 10) *sole occaso* (fr. 3 P) [2]), de qua locutione ita iudicat: *'Sole occaso' non insuavi vetustate est, si quis aurem habet non sordidam nec proculcatam,* et eam verbi formam in duodecim quoque tabulis esse scriptam demonstrat. Nonne igitur est apertum, cum eandem formam ter apud ipsum inveniamus, ex quibus unum locum iam Hosius [3]) videtur commemoravisse (III, 2, 3): *post solem occasum,* cui addo XIV, 7, 8 *post solem occasum* et III, 2, 4 *a sole occaso,* Gellium ea re veteres imitari?

In eodem capite (XVII, 2, 18) ex eodem Claudio affert *ne id quoque* (fr. 17 P), cum dicit: *'Ne id quoque' pro 'ne id quidem' infrequens nunc in loquendo sed in libris veterum*

---

[1]) Hac in re magno mihi adiumento fuit O. Gorges, De quibusdam sermonis Gelliani proprietatibus observationes, diss. Hall. 1883, cum additamentis quae composuit Ebert, Blätter f. d. bayr. Gymn., 1885, p. 574 sqq.

[2]) Historic. Roman. fragmenta coll. Peter, Lipsiae 1888.

[3]) Hosius in ed. Gell., Lips. 1901, p. 352.

creberrimum; atque eodem verbo ipse utitur: I, 2, 5; XI, 5, 4; XX, 1, 5[1]).

Item *cumprimis* verbum ex Claudio afferens (XVII, 2, 14) dicit: *'adprime' crebrius est, 'cumprime' rarius traductumque ex eo est, quod 'cumprimis' dicebant pro quod est 'imprimis'*, quorum vocabulorum secundo saepe utitur: I, 13, 7; 15, 8; XI, 3, 1 al.[2]).

Item de Claudii *nos in medium relinquemus* (fr. 25 P) disserens (XVII, 2, 11): *volgus*, inquit, *'in medio' dicit; nam vitium esse istuc putat et, si dicas 'in medium ponere', id quoque soloecon putant. Set ... vitium id non est.* Ipse ea locutione utitur: VII, 14, 9 *in medium relinquo.* Qua de causa amico cuidam assentitur, qui legebat in Ciceronis de imp. Cn. Pompei oratione (XII, 33): *in praedonum potestatem fuisse* (I, 7, 16 sqq.), quam formam rectam esse Plauti 'verborum Latinorum elegantissimi' versu (Amph. v. 180) docet: *numero mihi in mentem fuit*[3]). Quibus commotus Hertzius, v. G. a. p. 15 *in ordinem scriptum fuit* (IX, 14, 3) contra Madvigium defendit; cf. etiam XX, 1, 3: *in duodecim tabulas conscripserunt*[4]). Ut iam supra docui, non tam id in censum venit quod hae quas affero locutiones a veterioribus tantum scriptoribus usurpantur quam quod a Gellio priscae esse existimabantur, nam apud scriptores aureae quoque quae dicitur et argenteae aetatis in eiusmodi locutionibus *in* cum accusativo casu coniunctum invenimus, qua de re videas Handii Turs. III p. 344—51 et Draegeri Synt. I² p. 661.

Simillima videtur esse ratio verborum *plerique omnes.* Nam ut illud *in medium relinquemus* Graecis verbis εἰς μέσον θεῖναι ita hanc quoque verborum compositionem a veteribus usurpatam Graecis verbis videtur comprobavisse, cum duodecimum caput libri VIII, qui in manuscriptis intercidit, inscripserit: *Quid significet in veterum libris scriptum*

---

1) cf. Draeger, Histor. Syntax der latein. Sprache II 77; Hertz v. G. a. p. 23.

2) cf. Hertz v. G. a. p. 23.

3) cf. Coelianum illud (fr. 25 P ap. Gell. X, 24, 6) *die quinti in Capitolium curabo tibi cena cocta sit.*

4) Sed XV, 13, 11: *in XII tabulis scriptum est.*

'plerique omnes'; et quod ea verba accepta a Graecis videntur. Quibus verbis Graecis hanc figuram illustraverit intellegimus, ut Reisigius coniecit, ex Donati adn. ad Ter. Andr. 55: πλείονες πάντες[1]). Atque idem *plerique omnes* apud Gellium legimus saepissime: I, 7, 4; XIV, 3, 1; IV, 17, 4; I, 21, 1; XV, 7, 1; I, 3, 2; XVII, 5, 4. Singularis: X, 24, 4 *pleraque omnis vetustas.* Haec figura certe vetusta est cum soli eam usurpent: Naevius[2]) fr. inc. XIV. bell. Pun. p. 166 Mueller[3]); Plaut. Trin. 29; Ter. Andr. 55 (cf. supra); Ter. Phorm. 172 (cf. supra); Ter. Heaut. 830[4]), ex posterioribus praeter Frontonem ad amic. I, 14 p. 183 N unus Macrobius Sat. I, 19, 6, quem eam figuram Gellio perlecto sibi vindicasse recte iudicat Woelfflin, Lat. u. romanische Comparation, Erlangen 1879, p. 41 sq.

Item verbum *compluriens* 'minus usitatum' esse dicit Gellius (V, 21, 16. 17), quod vetustiores usurpare Catonis (fr. 79 P) et Plauti (Persa 534) locis demonstrat. Quam formam apud Gellium ipsum invenimus: VI, 3, 5; XVII, 2, 21[5]).

Non aliter *mille* cum genetivo casu coniunctum, quod multos alios illius aetatis homines vetustum iudicasse ipse testatur, postquam plurimis antiquiorum exemplis et Ciceroniano quoque uno probavit: *recte,* inquit, *et probabiliter dici solitum 'mille denarium in arca est' et 'mille equitum in exercitu est'* (I, 16). Atque eandem formam apud Gellium ipsum legimus IX, 2, 8: *mille nummum*[6]); cf. Varro apud

---

[1]) cf. Reisig-Haase-Schmalz-Landgraf, Vorlesungen über lat. Sprachw. III, p. 832. Existimare ergo possumus Gellium ea quae hoc in capite scripserit in Terentii, ut illud εἰς μέσον θεῖναι in Plauti comoediarum vetere commentario invenisse, praesertim cum apud Gellium ipsum legamus ex Ter. Phorm. v. 172 (G. XX, 6, 4): *plerique omnes.* Hosius ed. praef. p. XXXVIII existimat Gellium ex Probo ea sumpsisse.

[2]) cf. Holtze, Syntaxis priscorum scriptor. Lat. usque ad Terentium, Lips. 1861, I, p. 410/11.

[3]) Q. Ennii carm. rel. ed. L. Mueller, Petropoli 1884.

[4]) Ex reliquis scriptoribus qui non veterum sermonem loquuntur hi duo tantum loci mihi in promptu sunt: Caesar B. G. II 30; Nepos Eumenes 12.

[5]) Hertz, v. G. a. l. c.

[6]) cf. Apul. Met. II 23 p. 146 Oud. *mille nummum*; Met. VII 4 p. 452 *mille aureum.*

Gell. III, 14, 2 *ex mille nummum.* De aliis scriptoribus videas Neue-Wagener, Formenlehre II[3], 302 sq.

Gellius in Ciceronis Verr. V, 65, 167 *hanc sibi rem praesidio sperant futurum*[1]) postquam discrepantiam inter subiectum et nomen praedicativum in accusativi cum infinitivo constructione multis exemplis e C. Graccho, Claudio, Val. Autiate. Plauto, Laberio petitis probavit (I, 7), ipse eandem verborum incongruentiam usurpat III, 3, 1: *verum esse comperior quod quosdam bene litteratos homines dicere audivi . . . non indicibus Aelii nec Accii . . . (sc. se) credi turum*[2]), *sed ipsi Plauto.* Cf. Hertz, v. G. a. p. 12 sqq.

In capite XII. libri XVIII., quod inscripsit: *morem istum veteribus fuisse verba patiendi mutare ac vertere in agendi modum,* cum alia eius rei documenta tum Cn. Gellii (fr. 30 P) affert: *Postquam tempestas sedavit, Adherbal taurum immolavit,* quocum conferas Gell. II, 30, 2: *fluctus . . ., simul ac ventus posuit, sternuntur et conflaccescunt et mox fluctus esse desinunt.*

Item Gellius V, 21, 6 Catonem (p. 90, 12 J)[3]), Claudium Quadrigarium (fr. 90 P), Valerium Antiatem (fr. 65 P), Aelium Stilonem, Nigidium, Varronem *pluria* et *compluria* formas, quas barbaras esse 'reprehensor' quidam dixerat, usurpasse nos docet et Sinnium Capitonem in epistula quadam scripsisse *pluria* non *plura* dici debere. Iterum eandem formam apud nostrum quoque scriptorem legimus (XVIII, 6, 2): *compluria*[4]). Cf. Neue-Wagener II[3], p. 271 sq., unde cognoscimus eam formam omnibus temporibus esse rarissimam.

Porro Gellius in cap. XIII. libri X, quod inscripsit: *'cum partim hominum' qua ratione veteres dixerint,* postquam ex Catonis or. de re Flor. (LVII, 2 J) haec attulit: *cum partim illorum iam saepe ad eundem modum erat*[5]), adiungit: *'partim' hoc in loco adverbium est neque in casus inclinatur, sicuti 'cum partim hominum' dici potest,* quibus addit: *Imperitiores*

---

1) codd. Ciceronis habent *futuram.*

2) *creditorum* VPR; *credituros* ς corr. Gronovius.

3) Catonis reliquiae praeter de r. r. libros coll. Jordan, Lipsiae 1880.

4) Sic libri praeter Q[2] (*cuplura*) et Q (*cū plura*).

5) *erant* Duebner.

autem 'cum parti' legunt, tamquam declinatum sit quasi vocabulum, non dictum quasi adverbium. Eandem Catonis locutionem apud Gellium ipsum legimus VI, 3, 6: *cumque partim senatorum de Rhodiensibus quererentur*[1]) quo in capite Catonis or. pro Rhod. laudat. Huc referendum est etiam III, 16, 16: *partim eorum disputabant.*

Item Gellius, qui (X, 24) *diequinte* et *diequinti* formas, quamquam Cicero et Augustus iis utantur, tamen vetustiores esse dicit, ex vetere edict. praet. (de compitalibus) *dienoni,* e Pomponio atellaniarum scriptore (v. 77 R[3]) *diequarte,* e Coelio (fr. 25 P) *diequinti,* e Catone (p. 21, 2 J) *diequinti* affert atque eodem modo *die pristini* dici vult. Similemque formam ipse usurpat II, 29, 7 *die crastini*[2]), quae non nisi in Plauti Most. 881 et apud Macrob. Sat. I, 3, 16 invenitur, qui quidem hic quoque Gellium imitatus esse mihi videtur. Cf. Neue-Wagener II[3] p. 652, Lorenz[2] ad Most. 881.

A quibus omnibus haec quoque mihi cum Hertzio[3]) non aliena videntur esse. Fronto aliquando, ut Gellius narrat XIX 8, de quibusdam verbis quae quod non recto numero a nonnullis usurparentur reprehendisset C. Caesar disseruit atque disputationis finem fecit cum adhortatus est discipulos ut quaererent an *'harenas'* et *'quadrigam'* dixisset *ex cohorte illa dumtaxat antiquiore vel oratorum aliquis vel poetarum, id est classicus assiduusque aliquis scriptor, non proletarius.* Atque contigit Gellio ut alterum verbum *quadrigam* in Varronis Saturarum libro (Ecdem. fr. 93 Buech.) inveniret. Nihilo minus quasi contra Caesarem pugnans verbum *arenae* bis usurpat: V, 14, 17; XVI, 11, 7, ut, quamquam non in veteribus scriptoribus invenerit, tamen in verba magistri iurans, si ita mihi dicere licet, hanc formam vetustam esse videatur existimasse.

Agmen haec claudant. Valde miramur apud Gellium verba *est, sunt, sint, esse* participiis perfecti passivi, participiis perf. dep., substantivis et adiectivis, gerundiis et gerundivis totiens detrahi, cuius rei Gorges l. c. p. 56 sq. non minus quingenta

---

1) De plurali numero cum *partim* particula coniuncto infra disseram § 38.

2) *crastina* P.

3) Hertz, v. G. a. p. 21 et 91.

exempla affert. Quae res eo illustratur quod legimus V, 8, 7: *'est' autem et 'erat' et 'fuit' plerumque absunt cum elegantia sine detrimento sententiae,* quibus formis a Gellio enumeratis *esse* addere possumus. Ea verba non minus saepe quam apud Gellium in veterum scriptorum fragmentis desunt. Quamquam singula afferre ab hoc loco alienum puto[1]). Cf. Hertz, v. G. a. p. 24.

II.

De reliqua veterum imitatione in universum capita tria.

Allatis illis exemplis quibus quin Gellius veteres scriptores imitatus sit nemo est qui dubitare possit, ad ea accedam quae, quamquam de eis non disputavit, non minus imitatione veterum declarantur. Nam plurimas verborum compositiones et sermonis proprietates quibus Gellius ab optimis scriptoribus differt aut prorsus congruas aut paululum immutatas aut in eis veterum fragmentis quae ipse nobis tradidit inesse videbimus aut alibi a veteribus scriptoribus usurpari. Atque id quod nemini dubium esse potest, imprimis fragmenta illa nobis animadvertenda sunt, quare eos locos quos auctori nostro in oratione componenda ante oculos versatos esse manifestum est, asteriscis insigniam atque, quantum fieri poterit, reliquis exemplis ubique praeponam.

Caput I.

De abundantia sermonis.

Sermonis abundantiam omnibus linguae aetatibus reperimus, ut etiam Ciceronem eam ubique adhibere omnibus notum sit. Sed ut optimi scriptores praecipue rhetorica arte commoti pleonasmis utuntur[2]) cum ceteroqui rarius eos adhibeant[3]), ita scriptores Latini vetustiores, qui scribendi arte nondum ad fastigium educta sermone pedestri scribunt, non tam ut vim

---

[1]) Plauti et Terentii locos nonnullos congessit Reinkens, Über den Accusativus cum Infinitivo bei Plautus und Terenz, Progr. v. Düsseldorf 1887, unde cognoscimus *esse* apud comicos saepissime detrahi. De verbo substantivo a poetis neglecto loquitur Leo Senecae Tragoediae I, 184 sqq., sed nos inde nihil in usum nostrum vocare possumus.

[2]) cf. Ziemer, Junggrammatische Streifzüge, Colberg, p. 47.

[3]) Reisig-Haase-Schmalz-Landgraf, Lat. Gr., § 456.

augeant quam ut cogitata apertius exprimant verbum, sententiam, sententiae partem modo dictis abundanter apponunt. Quare ubicumque hunc volgi loquacioris usum apud Gellium invenimus, minime dubitandum est quin vetustiores scriptores imitetur. Nam quis est qui opinetur eum, qui conventus grammaticorum illius aetatis clarissimorum adeo, ut ipse quidem dicit, frequentaret, qui in lingua observanda tantum temporis consumeret, qui Ciceronis etiam scripta saepe legeret, inscitia optimi sermonis sermonem volgi, quod quanti aspernaretur non semel professus est[1]), in libris componendis adhibuisse?

§ 1. De nominum abundantia[2]).

1. a) Nomini terrae verbum *terra* additur:

terra Italia *Cato Jord. 55,8. (Gell. II, 67); *in terra Africa* *Scipio Afric. mai. p. 6 M² [3]); *in terra Graecia* *C. Sempr. Gracchus (Gell. XI, 10, 6) M² p. 242. — Gellius hunc usum saepissime admittit: *terra Graecia*: I, 1, 2; II, 3, 2; VI, 5, 1; XVII, 3, 1; XVII, 21, 16; 23; *terra Africa*: IX, 4, 7; X, 26, 6; XVI, 11, 4; *terra Italia*: III, 8, 1; XI, 11; XI, 1, 1; XVI, 19, 20; *terra Attica*: praef. 4; XV, 1, 6; *terra Asia*: XVII, 9, 19; XIX, 9, 1; *terra Hispania*: XVII, 3, 1; XIX, 9, 7; *terrae Lydiae*: I, 11, 6; *in terra Umbria*: III, 2, 6; *terra Sicilia*: III, 7, 2. 3; *terrae Macedoniae*: IX, 3, 1; *terrae Indiae*: IX, 4, 9; *terrae Cariae*: X, 18, 2; *in terra Boeotia*: XVII, 5, 1; *in terram Laconicam*: XVI, 19, 17; *terra Gallia*: II, 22, 27.

Alia exempla illorum quos supra attuli scriptorum non inveni praeter Varronis[4]) r. r. I, 9, 1: *terra Italia*; eiusd. l. l.[5]) VII, 18: *terra Aetolia*. Posteriorum affero Caes. B. G. I, 30, 3 *terrae Galliae*[6]); Auct. b. Afr. 26, 3; 24, 3; 3, 5: *terra Africa*. Apud Ciceronem talia ut invenirem mihi non contigit.

---

[1]) I, 7, 17; I, 22, 2 al.

[2]) cf. Altenburg, De sermone pedestri Italorum vetustissimo F. J. Spp. 1898, et R. v. Planta in Archiv f. Lex. u. Gramm. XI, 282.

[3]) Fragm. orat. Rom. coll. Meyer, Turici 1832, ² 1842.

[4]) ed. Keil, Lipsiae 1882.

[5]) ed. Spengel, Berol. 1885.

[6]) cf. Riese ad Catulli c. 39, 17.

b) His similia sunt: *Cato origg. fr. 93 P. (Gell. II, 22, 28) *ventus cercius*[1]) ∾ Gell. II, 22, 2 *sapyx ventus*; XVI, 11, 7 *ventus auster*; II, 2 2 e *de sapyge vento* — cf. Cato origg. 34, 5 J *ventus auster*; id. de a. c. 31, 2 (bis) *vento austro*; id. 40, 1 id. orat. I, 8 J *ventus auster*[1]). Cf. Sisenna fr. 8 P.; Varro r. r. I, 77; id. I, 2, 20; III, 16, 25[2]).

c) *Cato L I J (Gell. XIV, 2, 26) *ni vir melior esset Gellius quam Turio* ∾ G. XIV, 3, 4 *virum quidem Cyrum gnavum et strenuum fuisse.* Sic intellegendum esse conicio X, 17, 3 *adulescentis viri*[3]) *deplorantis.*

d) G. V, 14, 13 *homo Androclus*; XIX, 5, 1 *hominis amici*; *nebulo homo* I, 2, 7; XVI, 6, 12. — Quibuscum conferas Cato or. V, 2 *si nemo esset homo*; *homo servus*: Plaut. Capt. 665; Stich. 58; Mil. 561; *homo captivos*: Men. 79; Epid. 327. 8; cf. Lorenz ad Mil. 561, ubi de hoc Plautino usu loquitur.

2. Si totius rei pars praedicatur, et totum et pars eodem vocabulo significatur, ut repetitio substantivi oriatur: G. I, 9, 5 *res didicerat rerum omnium difficillimas*; II, 24, 6 *aliorum autem dierum in singulos dies sumptum*; V, 10, 1 *Inter vitia argumentorum longe maximum esse vitium videtur*; II, 12, 17 *in legibus Solonis . . . legem esse refert Aristoteles.* — Cato de a. c. 108, 1 *vini sextarium de eo vino.*

3. Breviore notione ea quae antea dicta sunt rei amplificandae causa excipiuntur: *Varro rer. hum. XIII fr. 2 Mi[4]) (G. III, 2, 2) *qui inde a media nocte ad proximam mediam noctem in his horis viginti quattuor nati sunt* ∾ Gell. III, 2, 4 (ex Varro r. r. hum. XIII fr. 3 Mi) *a sole occaso ad solem iterum occidentem omne id medium tempus unum diem esse.*

---

[1]) Exempla Catonis coll. Dietze, De sermone Catoniano Diss., Lips. 1870.

[2]) De Varronis exemplis cf. Krumbiegel, De Varroniano scribendi genere quaest. diss., Lips. 1892.

[3]) sic libri; *filii* editiones veteres; *viri* del. Jordan; *adulescentis viri* Hertz.

[4]) P. Mirsch, De M. Terentii Varronis ant. rer. hum. libris XXV, stud. Lips. V, 1 Lips. 1882.

§ 2. De abundantia adverbiorum.

Ut nominum ita adverbiorum abundantia non minus saepe apud veteres quam apud Gellium invenitur neque raro Gellius eadem verba quae illi aut similia usurpat, id quod facile intelleges, si hos antiquiorum locos cum Gellio contuleris:

1. Coniungitur cum verbo adverbium aut eiusdem aut similis stirpis: Cato J. p. 85, 12 *separata seorsum* ∾ Gell. X, 20, 5 *seorsum dividere.* Cato de re mil. lib. I J. *palam proferantur* ∾ Gell. XIV, 3, 3 *opposuit contra*; XVI, 16, 2 *sursum elatis*; III, 15, 2 *laetissime gauderet.* Cf. etiam G. XIV, 3, 11 *simul iunctae*[1]. Porro Plaut. Persa 427 *valide valere*; Curc. 535 *propere properas*; Cas. 448 *praemittam prius*[2] ∾ Gell. II, 21, 13 *Caelius magis maluit.*

2. Insolenter adverbium demonstrativum verbo *adesse* et huic similibus additur[3]: *aderant ibi* Gell. IX, 5, 5; XIII, 31, 6; XVII, 3, 2; I, 7, 4; *imus qui tum aderamus* XII, 1, 3; *ausaque ibi adscripta est* ∾ Ter. Andr. 715 *iam hic adero*; id. Andr. 106 *ibi tum filius aderat*; Plaut. Mil. 708, 994; Epid. 612 *ibi aderat una Apoecides*; Mil. 1019 *set hic numquis adest?* Truc. 413 *non multo post hic aderit.*

3. Deinde generale adverbium speciali notioni abundanter additur, ut enuntiati constructio certioribus finibus circumscribatur:

a) adverbium posteriorem locum obtinet:

α) constructionem participialem adverbium sive casus adverbii vicem fere explens sequitur: *Calpurn. Piso fr. 8 (G. XI, 14) *eundem Romulum dicunt ad cenam vocatum ibi non multum bibisse*; Sisenna fr. 6 *nocte consumpta postero die* ∾ Gell. XV, 22, 8 *amissis deinde amicis postridie*; III, 16, 12 *factum negotium ... quasi marito mortuo postea concepisset*; XIX, 8, 9 *His deinde verbis lectis ibi Fronto ...*

---

[1]) Apud Plautum invenies *simul iunctim*; cf. G. XIII, 25, 6 *simul iunctim.*

[2]) cf. Lindsay ad Capt. 687.

[3]) *Adesse* verbum omisso illo adverbio usurpari passim videmus, e. g. XX, 1, 54 *omnes qui aderant*; II, 23, 4. 5 *mihi et qui aderant.*

inquit; XVII, 21, 8 *Archilochum autem Nepos Cornelius tradit Tullo Hostilio regnante iam tunc fuisse poematis clarum et nobilem*; I, 19, 9 *mulierem tunc digressam postea nusquam loci visam constitit.*

β) Adverbium abundans sequitur enuntiationem secundariam causalem vel temporalem[1]: *C. Gracch. (G. XV, 12) *cum a servis eorum tam caste me habuerim, inde*; *Cinc. Alim. (Gell. XVI, 4, 1) *quod . . . populus Romanus . . . bellum iussit ob eam causam* — Gell. II, 7, 18; III, 3, 4 *quoniam — propterea*; cf. VII, 6, 8; praef. 4; XII, 5, 8 *quoniam — idcirco*; cf. XIII, 20, 11; praef. 5[2]).

Cato J. p. 37, 4 (Fronto) *ubi id utrumque perlectum est, deinde scriptum erat* ∾ Gell. XIX, 10, 13 *hoc ubi lectum est, tum deinde Fronto . . . inquit.* Plaut. Epid. 386 *ubi id inspexissent, cogitarent postea*, cf. Gell. XVII, 2, 1 *cum librum veteris scriptoris legebamus conabamur postea*; III, 9, 5 *deinde post Antonium equum . . . requisisse et, cum eo potitus esset, postea exitio interisse*; XVII, 8, 17 *Dum haec Taurus interea puer venerat.*

b) Adverbium priorem locum obtinet:

α) apud substantivum:

1. temporali notione: *Sempronius Asellio fr. 7 P (G. II, 13, 5) *tum in eo tempore* ∾ Gell. II, 12, 1 *tum in . . . eo tempore.* Laelius Sapiens or. M² p. 173 *dein postero die*; Varro r. r. II, 1, 22 *statim sine intervallo*; Pl. Capt. 44 *saepe multis locis*[3]) — Gell. XVI, 19, 21 *tum inter haec eorum verba*; XVI, 8, 4; I, 12, 9 *simul eo tempore*; XV, 31, 2 *tum ibi in obsidione*; XIX, 1, 5 *tunc in tantis periculis*; XVIII, 10, 4 *tum in eo sermone.*

2. locali notione: Naevius 71 *hic in theatro*; Caec. 33 *huc in meam navem*; Afran. 137; Pacuvius 99 *ibi sub eo saxo*; Plaut. Men. 632 *hic ante aedes*; Cist. 675; Most. 6; *hinc ex hisce aedibus* Cist. 546; Capt. prol. 50. (Plura affert Brix

---

[1]) De Plauti usu cf. Lorenz ad Most. 881.

[2]) Locos congessit Neubauer, De coniunctionum causal. ap. Gell. usu, Diss. Erlangensis, Magdeburg 1890.

[3]) cf. Lindsay ad h. l. et Lorenz ad Mil. 885.

ad Capt. 327)[1] ∾ G. XVII, 12, 3 *inibi*[2]) ⟨*in*⟩ *iisdem laudibus*; III, 1, 7 *tum nobiscum in eodem ambulacro*; XII, 8, 4 *ibi tunc eodem in loco* cf. XIV, 1, 2; XVI, 19, 17; XV, 10, 1; II, 26, 1 *ibi apud Frontonem*; cf. IV, 1, 1; III, 15, 3 *ibidem in stadio;* cf. XII, 8, 6; Frontonis exempla invenies apud Ebert, Acta Sem. Erl. II, 353 sq. Nonnulla eius abundantiae exempla e veteribus potissimum congessit C. F. W. Müller, Festschrift für L. Friedländer, p. 549.

3. modali notione: *Claud. fr. 10 P (G. X, 13, 17) *iterum eodem pacto*; Varro r. r. I, 17, 3 *item eodem modo* ∾ Gell. X, 24, 8 *item simili figura.*

β) Adverbium antecedit constructioni participiali: *Plaut. Cist. 162 (G. III, 16, 2) *tum illa, quam compresserat, decimo post mense exacto hic peperit filiam*[3]); *Val. Antias fr. 62 P (Gell. VI, 9, 17) *deinde funere locato ad forum descendidit* ∾ Gell. XV, 4, 3 *post vero coniunctis partibus . . . consulatum* (sc. eum) . . . *adeptum esse*; XII, 5, 2 *tunc omisso itinere*; III, 7, 7 *tunc interea occupatis in ea caede hostibus tempus . . . educendi habebis*[4]) — cf. Cato, de a. c. 132, 3 *postea dape facta serito milium, panicum, lentim.*

γ) Adverbium antecedit enuntiationi secundariae:

1. significatione causali[5]): *Cato origg. V, 4 J. *ob eam rem quod*; id. orat. XI, 3 J. *propterea quod*; *M. Messala (G. XIII, 15, 4) *ideo quod* ∾ Gell. XI, 5, 8 *propterea quod*; XI, 13, 4 *tanto magis quod*; III, 19, 4 *ob eam causam quod*; cf. XIX, 8, 16. Gell. praef. 5 *eo quia*; I, 12, 13; II, 21, 10; IV, 9, 12 *propterea quia* al.[6]).

---

[1]) De Ciceronis loco p. Rosc. V, 13 *hic ante oculos vostros,* qui satis insolens est, cf. Landgraf ad h. l.

[2]) De verbo *inibi* cf. Lindsay ad Capt. 5, qui dicit: „*inibi* was a word that would be known in the Imperial Age to the students of archaic Latin"; cf. G. I, 3, 1 *cum iam inibi mors occuparet.*

[3]) cf. supra § 2, 3, a, *α.*

[4]) e Catonis origg. (p. 18, 13 J).

[5]) Negari non potest apud Ciceronem quoque his similia inveniri, sed reliqua omnia nobis respicientibus existimandum est hoc quoque abundantiae genus ex veterum imitatione fluere.

[6]) Neubauer l. c. p. 18 sqq.

2. Gravioris momenti est abundantia adverbii temporalis: Cato orat. I, 8 J. *deinde postquam*; id. *p. 32 J. (G. XVII, 6, 1) *postea ubi irata facta est servum ... iubet*; id. de a. c. 156, 4 *postea ubi* ∾ Gell. II, 23, 20 *post ubi idem servus percontando, quod acciderat, repperit ... dixit*; XIX, 1, 12 *Sed postea, cum venissemus ..., pecontatus sum*; I, 2, 2 *Atque ibi tunc, cum essemus apud eum in villa ..., propulsabamus incommoda*; XII, 5, 3 *Post deinde cum Taurus et medicos accersisset ... inquit Taurus*; cf. Cato Jord. 70, 1 *sed tum, ubi ii dimissi sunt, revortantur resignatis vectigalibus*. Plaut. Most. 135 *postea cum*; Varro r. r. II praef. 6. Cato de a. c. 32 *tum cum*.

Maxime inter se consentiunt: Varro r. r. I, 2, 2 *voltis ... interea vetus proverbium, quod est 'Romanus sedendo vincit', usurpemus dum ille venit?* ∾ Gell. I, 26, 9 *interim dum ego atque hic disputamus, tu hoc age.* Catonianum videtur esse (origg. IV 7): G. III, 7, 17 *consul interim, dum ibi pugnatur, se in locos tutos atque editos subducit.*

Duplex abundantia inest huic loco: G. III, 16, 12 *praeterea ego de partu humano, praeterquam quae scripta in libris legi, hoc quoque usu venisse Romaè comperi*; cf. Varron. r. r. II, 8, 1 *vos ante ire non patiar, antequam* et r. r. III, 5, 2 *cum eo adiciant praeter aves alias quoque.*

§ 3. De abundantia coniunctionum.

1. Ex Catone assumpsisse videtur Gellius *sed enim* coniunctionem[1]), cuius Gorges l. c. p. 41 affert triginta quinque exempla, quibus addo XIX, 8, 6; cf. *Cato J. p. 29 (Gell. VI, 3, 16) *sed enim id metuere.* Gellius in eodem capite VI, 3 hanc coniunctionem bis usurpat: § 44 et § 47. Ex reliquorum numero hunc unum locum profero: XI, 18, 18 *Sed enim Cato in oratione ...*, nam hic Gellio Catonis scribendi genus animo obversatum esse oculis videmus.

2. Item ex veterioribus scriptoribus petitum est G. XII, 5, 10 *quia enim omnia, quae non sunt mala, molestia quoque omni non carent*, nam nisi apud Plautum et Terentium[2]) *quia enim*

---

1) cf. Fronto p. 126, 15 N *sed enim.*

2) cf. Langen, Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus, p. 262. Lorenz ad Most. 1081.

nusquam nisi Gellii aetate invenitur[1]. Cf. Plaut. Cas. 385; Bacch. 50 *quia enim intellego*; Mil. 834; Most. 1098; Terent. Phorm. 332; Hec. 311. Plura exempla invenies apud Holtze l. c. II, 357. cf. Varro r. r. I, 13, 4 *quod enim quam recens quod conflacuit melius*[2].

3. Hic inserenda sunt G. III, 10, 11 *nisi si* (*si* om. R); XIII, 29, 3; XVII, 13, 10 *nisi si quis* (*si* Q.; om. rel. omnes libri), quibus addere velim IV, 12, 2 *quasi si* (R ς [?])[3] ∾ Cato de a. c. 138; Varro l. l. V, 166; VI, 29; r. r. II, 2, 6; 3, 2; III, 2, 12 cf. Altenburg l. c. p. 489, Handii Turs. IV, p. 239. De Plauti usu videas Brix ad Trin.[4] v. 474, de Terentii Dziatzko ad Ad. v. 594. *quasi si* in veterioribus legibus saepissime invenitur e. g. in lege aed. Jov. Furf. 310, 16 Schneider: *quasei sei*, cf. Jordan, Kritische Beiträge, 1879, p. 252.

Hanc abundantiam quam apud antiquiores scriptores saepissime legimus Cicero in vetustioribus tantum scriptis usurpat[4], ut facile intellegamus Gellium in illis coniunctionibus adhibendis antiquiorum illorum scriptorum usum sequi.

4. Quamquam *ut* — *ne* coniunctio omnibus aetatibus usitata est, tamen Gellius antiquiorum legum dicendi genus[5] sibi ad imitandum videtur proposuisse his locis[6]: I, 23, 5 *placuit* (sc. senatui) *ut eam rem super qua tractavissent, nequis enuntiaret* (ex Catonis orat. XXXIX, 9 J); ibid. 13 *Senatus ... consultum facit, uti posthac pueri cum patribus in curiam ne introeant* (ex ... m Catonis XXXIX, 15 J). — G. II, 6, 18 *a communi consilio Asiae decretum est, uti nomen eius qui templum Dianae Ephesi incenderat nequis ullo in tempore nominaret*; II, 24, 13 *Lex ... Antia ... id sanxit, ut qui magistratus esset nequo ad cenam nisi ad certas personas itaret*; I, 25, 16 *praefinitur pactumque fit ut ante eum diem ne pugnetur* ∾ *SC factum C. Fannio Strabone M. Valerio

[1]) Kühner, Lat. Gramm. § 172, 2. Apulei locos congessit Koziol l. c. p. 146b et Oudendorpius in Apul. met. IX, p. 615.

[2]) Cf. Keilii Commentar. ad h. l.

[3]) E Catone Gell. h. l. videtur sumpsisse (fr. 2 p. 52 J).

[4]) Thielmann, De sermon. propriet. . . . ap. Cornif. et in prim. Cic. libr., Straßburg 1879, p. 21 [367].

[5]) Cf. Schmalz, Lat. Gr.[3], § 326.

[6]) Cf. Gorges l. c. p. 27.

Messalla coss (a. 161) FIR[1]) p. 166 (G. XV, 11, 11) *ita censuerunt, ut M. Pomponius praetor animadverteret curaretque, uti ei e republica fideque sua videretur, uti Romae ne essent*; *M. Valerius Messala (apud G. XIII, 16, 1) *Set si contionem habere volunt, uti ne cum populo agant.*

Eandem coniunctionem in precationibus sollemnibus videmus V, 12, 8 *mam deos . . . quosdam ut ne obessent placabant.*

§ 4. De abundantia pronominum.

Saepe pronomini demonstrativo genetivus alterius aut eiusdem pronominis demonstrativi additur, quod item ad enuntiatum antecedens spectat, ut abundantia oriatur:

*Cato p. 20, 1 (G. III, 7, 19) *id eius factum* ∾ Gell. X, 17, 2 *id factum eius*; cf. I, 17, 2 *has eius intemperies . . . demiratus sum.* IV, 16, 3; XVI, 19, 21; XVII, 7, 4; XX, 1, 3; VII, 8, 3 *eandem eiusdem sororem.*[2])

Ut Plautus et Terentius ita saepe Gellius utitur pronomine *idem* cum demonstrativo pronomine coniuncto, certe saepius quam optimi scriptores. Atque *idem* pronomini demonstrativo anteponitur:

I, 5, 3 *idem ille amicus noster*; I, 19, 7 *eodem illo pretio*; V, 16, 5 *eiusdem illius*; IX, 4, 10 *idem illi scriptores*; XIII, 5, 5 *idem illi*; XVII, 19, 5 *idem ille* cf. XII, 20, 8; XIV, 1, 15; XII, 7, 2; VI, 3, 52; VI, 8, 6[3]); XV, 31 *eadem istaec (ista* ‖ *ista ha(e)c* ω, corr. Hertz).

Idem pronomini demonstrativo postponitur:

*Nigidius (fr. 11 Sw.[4]) ap. G. X, 4, 4 *hoc idem fit* ∾ Gell. I, 9, 8 *haec eadem dixit*; II, 15, 5 *hoc idem Favorinus . . . censebat*; III, 16, 3 *hoc idem*; X, 26, 9 *hac eadem*; IV, 4, 3 *haec eadem.* Plauti et Terentii locos congessit Niemöller: De pronominibus ipse et idem apud Plautum et Terentium diss. Hal. 1887 p. 41 sqq., cf. Holtze I p. 367.

Ritschelii regulam *idem* cum demonstrativo pronomine coniunctum apud illos semper anteponi Niemöller artioribus finibus

---

[1]) Fontes Iuris Romani ed. Bruns⁶.

[2]) Cf. Gorges l. c. p. 62.

[3]) Sic fortasse explicandum VI, 3, 11 *eodem eo.*

[4]) P. Nigidii Figuli op. coll. Swoboda, Vindobonae 1889.

circumscribit cum docet, *hic* non minus saepe apud Plautum anteponi quam postponi, in pronomine *ille* autem collocando Ritschelii regulam valere. Quodsi videmus Gellium pronomen *hic* ubique anteponere, *illi* autem postponere, non dubitandum est quin illo discrimine accuratius observato Plautum imitari sibi visus sit.

De pronominibus demonstrativis quae referuntur ad substantivum vel pronomen eiusdem sententiae infra pluribus verbis mihi disserendum erit.

De reliquorum pronominum abundantia qua Gellius priscos imitatur haec adnotanda sunt: *quisquam* aliis pronominibus adiungitur: G. II, 6, 9 *nemo quisquam* cf. IX, 10 4; XII, 7, 4 ∾ Cato p. 25, 8 *quod eorum nemo quisquam quicquam mihi ignoturus est*; Plaut. Cas. 1008 *lepidiorem uxorem nemo quisquam quam ego habet*; Terent. Eun. 1032 *nemo hercle quisquam.* Plura invenies apud Holtze I p. 402 sq., Lorenz ad Plaut. Most. 736, Dziatzko-Hauler ad Ter. Ad. 1894, 275, 366. Hanc coniunctionem apud optimos scriptores nusquam invenimus, cum praeter Gellium eam usurpet unus Suetonius Cal. 3 et Tib. 12, cf. Draeger, Historische Syntax I p. 99, Bagge p. 106—108. — *nihil quicquam*; Gell. I, 3, 3; IX, 9, 12; XI. 5, 7; XII, 5, 7; XIII, 3, 2; XIV, 2, 2; XVII, 2, 24; 9, 13; XIX, 9, 10. — Plauti et Terentii locos, qui plurimi sunt, non affero; congesserunt eos Holtze l. c. Lorenz l. c. Dziatzko-Hauler l. c. Ex reliquis scriptoribus duo tantum exempla ita comparata: Cic. de or. I, 30, 134 et Apul. flor. I, 9 affert Draeger I, p. 99, quorum Ciceronis delendum est, cf. Madv. adv. crit. III, 86.

Huc referenda sunt etiam Gell. XIII, 25, 4 *nulla re aliqua*; I, 2, 4; VI, 6, 2 *nulli ulli*; XVIII, 5, 6 *nemo unus*[1]), quae coniunctiones, quamquam apud veteres scriptores eas me legere non memini, eodem ex fonte fluxerunt.

Saepissime apud veteres imprimis apud Plautum et Terentium pronomen possessivum cum dativo pronominis reflexivi coniunctum videmus. Ex magno Plauti locorum numero satis habeo hunc unum attulisse: Capt. 81 *Cochleae suo sibi suco*

---

[1]) *Nemo unus* legimus apud Caes. B. c. III, 18; Cic. Tusc. V, 36; Liv. sexies; cf. Draeger I² p. 100. M. Paul, De unus pronominis numeralis apud priscos scriptores usu, Jenae 1884, de hoc veterum usu non loquitur.

vivunt, quocum conferas Gell. XII, 1 1 *suasit* (sc. Favorinus) *nobili feminae uti liberos suo sibi lacte aleret*[1]). Plura invenies apud Holtze I, p. 300. Dräger I² 77. Brix ad Trin. v. 156. Lindsay ad Capt. v. 5. Dziatzko-Hauler ad Ter. Ad. 958. — Gellii loci sunt: XI, 1 1 (quem iam supra commemoravi); V, 10, 16; XIX, 12, 9. Gellium hic quoque priscos scriptores imitari dicere possumus, etsi *suo sibi* etiam a Petronio et a Vitruvio usurpatur[2]), nam quantopere Gellius volgi sermonem aspernatus sit iam supra docui.

§ 5. De verborum et sententiarum abundantia.

Huc pertinent haec exempla: Varro I, 2, 24 *suscipit Stolo: Tu, inquit, invides* ∾ Gell. I, 15, 13 *Sallustius . . . scribit: loquax, inquit, magis quam facundus*; II, 5 *Favorinus . . . solitus est dicere: 'Si ex Platonis', inquit, 'oratione . . . demas . . . detraxeris'*; id. G. I, 3, 28 al.

Nonnulla etiam exempla inveniuntur ubi ea quae iam in enuntiatione primaria dicta sunt enuntiatione secundaria repetantur. Abundantiam esse admissam, ut enuntiato finali adiecto vis sententiae augeretur, videmus his locis: *Cato p. 23, 14 (Gell. VI, 3, 16) *Nam unusquisque nostrum si quis advorsus suam rem quid fieri arbitrantur summa vi contra nititur, ne advorsus eam fiat* ∾ Gell. XVI, 19, 10 *Tum illum ibi . . . pecuniam ceteraque sua, ut haberent, dedisse*; ibid. *vitam modo sibi, ut parcerent, oravisse*; XV, 22, 8 *iussit tacere ac ne cui palam diceret interminatus est*; XVI, 2, 1 *si . . . quid rogeris, ut respondeas, tum . . . ne dicas*. Aliis locis

---

1) *Sibi* non esse dativum commodi, sed significatione ut nos dicimus *eigen* pronomini possessivo abundanter adiunctum esse docet Ziemer l. c. p. 150; cf. Konjetzny, Archiv f. Lex. XV, 333.

2) Woelfflin, Archiv VII, 476. Ciceronis locus (Phil. II, 69 *illam mimam suas res sibi habere iussit*) huc non pertinet, ut Woelfflin opinatur, nam *sibi* hic ad verbum pertinet. Praeterea illa verba non Ciceronis sunt, nam iis in divortio faciendo vetere ex more vir feminam alloquebatur; cf. Brisson de formulis VIII, 35. Marquardt, Das Privatleben der Römer, Leipzig 1879, p. 68 cum adn. 8. R. Leonhard in Pauly-W., Realencycl. V, 1243 sq. De reliquis quinque Ciceronis, ubi *suus sibi* legimus, locis qui item huc vix pertinent cf. Lebreton, Etudes sur la langue et grammaire de Cicéron, Paris 1901, p. 140 sq.

3) cf. Krumbiegel l. c. qui laudat Liv. VII, 16, 5 *exclamat — inquit* al.

non tam vim augeri quam sententiam accuratius circumscribi apertum est: Calp. Piso fr. 36 *his consulibus qui proximi sunt* — Gell. VII, 10, 4 *sub noctem cum advesperasceret*; XVII, 21, 31 *Demosthenes fuga salutem petivit, cumque id ei, quod fugerat, probrose obiceretur . . .*

§ 6. Una duobus verbis exprimitur notio.

Ab optimis scriptoribus Latinis saepe duobus verbis synonymis aut paululum mutatis, quae *et, atque (ac), que* coniunctionibus copulantur, unam notionem exprimi, ut Gelli verbis utar, onerandi vel exprobrandi criminis causa (XIII, 25, 9) nemo nescit[1]). Quam orationis figuram quamquam a Graecis petitam esse constat[2]), tamen eandem verborum coniunctionem apud scriptores prioris aetatis, qui summa arte linguam tractare nondum assueverant, imprimis apud Catonem[2]) et apud comoediarum[3]) scriptores saepissime invenimus. Hi non tam ornandi causa illud fecerunt quam ea re adducti quod duobus verbis eandem notionem planius et distinctius significari existimabant. Quodsi apud Gellium, ut passim videmus, illis similem verborum coniunctionem saepissime offendimus pro noto eius veterum studio et amore non ex optimis illis scriptoribus eam petitam esse, sed veteres Gellium hac quoque in re ad imitandum sibi proposuisse conicimus. Atque valde miramur similitudinem verborum quae hac in re intercedit inter scaenicos et Gellium[4]). Sed cum fieri non possit ut duos illos fontes subtiliter discernamus, eos tantum locos veterum proferam, quos Gellio in oratione componenda ante oculos fuisse apertum est, quibus probatis cetera quoque inde fluere non sine veritatis specie conicio.

1. *Ennius v. 183 R (G. XIX, 10, 12) *mentem atque animum*[5]) ∾ Gell. II, 1, 2 *mentis atque animi*; XI, 18, 23

[1]) Cf. Norden K. P. p. 167. Haec dicendi amplificatio a figura illa quam ἓν διὰ δυοῖν nominamus, seiungenda est, praesertim cum Gellio hac in figura adhibenda cum veteribus nihil commune videatur esse quo ab optimis scriptoribus differat.

[2]) Cf. Norden l. c.

[3]) Cf. Lorenz ad Plaut. Most. 1148, ad Mil. 448 et 451.

[4]) Gellii locos congesserunt Gorges p. 58 sqq. et Ebert l. c. p. 581 sqq.

[5]) In Thesauro Linguae Latinae s. v. *atque* nullus locus praeter hunc Ennianum a Klotzio affertur.

mente atque animo; XIII, 28, 4 *mens atque animus*; XV, 2, 7 *mentem animumque.* Pluralis: II, 29, 1[1]; I, 11, 8.

2. *Plautus Poen. v. 1113 (G. XIII, 30, 6) *specie venustast, ore atque oculis pernigris.* ∾ Gell. IX, 11, 7 (ex Claud. fr. 12 b P) *os atque oculos*; XIII, 30, 2 *os atque oculos* (in eodem capite quo ille Plauti locus); II, 1, 2 *ore atque oculis*; XIV, 4, 1 *os et oculi et vultus.*

Simillima sunt: *Cato 19, 11 J (G. XIV, 2, 26) *fortem atque strenuum* ∾ Gell. XIV, 3, 4 *gnavum et strenuum.*

3. Verba ab iisdem particulis incipientia: *Nigidius Figulus fr. 34 Sw (G. XVII, 7, 8) *dividas separesque* ∾ Gell. I, 2, 7 *seiungere atque dividere*; VI, 2, 12 *separatim atque divise* cf. Cato orat. 39, 4 J *seorsum atque diversum.*

Praeterea haec pauca exempla, quamquam in eis orationibus et carminibus quae Gellius nobis tradidit non inveniuntur, proferre mihi liceat:

4. Plaut. Mil. 615 *lepide et commode*; 907 *lepide et sapienter*; 1161 *lepide et facete* atque ita saepissime apud Plautum[2] ∾ Gell. II, 29, 2 *lepide ac iucunde*[1]; VII, 13, 4 *lepida ac minuta*; XIII, 10, 3 *lepide atque argute*; I, 23, 8 *lepidus atque festivus*; I, 25, 3 *lepidae magis atque iucundae*; IX, 3, 2 *lepide comiterque.*

5. Plaut. Mil. 751 *vetus atque antiquus* ∾ Gell. XVI, 1, 6 *prior tempore antiquiorque.* Plaut. Mil. 887 *male ac malitiose* ∾ G. IX, 2, 8 *malus et malitiosus*; sim. III, 14, 1 *male ac vitiose.* Atque haec quidem hactenus.

§ 7. Iam spectemus ἀσύνδετον illud priscum quo duo verba synonyma aut paulum inter se diversa πλεοναστικῶς copulantur, quam figuram a Frontone e prisco sermone repetitam atque eo auctore a reliquis illius aetatis scriptoribus usurpatam esse cum Woelfflinio[3] credo, praesertim cum apud optimos scriptores plane desit praeter Ciceronis vetustiorum librorum pauca exempla[4]. De controversia inter Preussium[5] et Dombartium

---

[1] Ex Ennii certe satiris (lib. inc. II Vahlen).

[2] Lorenz ad Most. 1148, ad Mil. 448 et 451.

[3] Woelfflin, Sitzber. d. K. b. A. d. W. ph-h. Kl. 1880, p. 427.

[4] Cf. Krebs-Schmalz Antibarbarus s. v. *ibi*; Hellmuth, Acta Sem. Erl. I 1878, p. 165; Landgraf ad Cic. Rosc. p. 154.

[5] Preuß, De bim. dissol. usu sollemni, Edenkoben 1880, p. 64 sqq.

ea de re facta vid. Landgraf ad Cic. Rosc. p. 154. Ego ut Landgrafius cum Dombartio facio qui dicit eam figuram esse „vulgärer Pleonasmus", non ἀσύνδετον merum. Atque videmus illo modo coniuncta esse:

a) adiectiva.

Cum *plerique omnes* ex veterioribus scriptoribus petitum esse iam supra docuerim, facile convincimur reliquorum quoque coniunctionem ex eodem fonte fluere adiectivorum: *universi omnes* Gell. XIX, 12, 1 ∾ Varro l. l. X, 10 *de omnibus universis discriminibus.* ib. IX, 25 *omnes universi*[1]); Plaut. Trin. 1046 *omnibus univorsis*; *unus solus* Gell. XII, 11, 8; XVIII, 1, 14 ∾ Varro r. r. I, 9, 3 *aliis generibus reliquis*; *totam integram matrem* G. XII, 1, 5 ∾ *Oggannit odiosus omni totae familiae* Plaut. fr. p. 484 v. 2; Plaut. Trin. 171 *universum totum.*

b) adverbia.

Tum ibi apud Gellium decies cf. Gorges l. c.; *ibi tum* XX, 8, 3, *tum istic* XVI, 3, 2 ∾ Terent. Andr. 106 *ibi tum*; 131 *ibi tum*; 223 id., 634 id.

Tunc ibi Gell. XIV, 2, 9 — Varro r. r. I, 6, 5[2]); *ibi tunc* G. I, 2, 2; X, 3, 7; IX, 15, 2; XIII, 5, 2; II, 22, 2.

Tum postea XIII, 3, 10; XVI, 19, 7; XIX, 1, 3; IX, 9, 15; XV, 3, 3. *ibi postea* XIII, 24, 1 (ante Catonis locum); I, 19, 9 *tunc postea* ∾ Ter. Eun. 370 *quid tum postea. Tum deinde* VI, 3, 47; XIX, 10, 13; XII, 13, 6; XIII, 24, 1 (inter duos Catonis locos interpositum); *tunc deinde* II, 8, 3; *tum denique* G. I, 6, 6; I, 9, 7 ∾ Varro r. r. quinquies; Cato de a. c. 45, 3; Plaut. Capt. 142; Ennius fr. Ath. v. 150. Plura invenies apud Holtze I, p. 108. *XII tab. (ap. Gell. XX, 1, 45) *post deinde*; *Varro fr. p. 255 Bip. (Gell. III, 10, 7) id. — Ex Gellio Gorges octo exempla affert omissis his XVII, 21, 44 et 46 et XVII, 21, 26 *deinde post* — III, 2, 5 *deinde post.* — Ex illo numero proferenda sunt XX, 1, 44 (eodem in capite quo ille XII tab.

---

[1]) Cf. Krumbiegel l. c. p. 48.

[2]) Quod Sittl (die lok. Versch. d. l. Spr., p. 98) dicit: „Wenn ich nicht irre, kommt eine Anzahl solcher Verbindungen (*ibi tunc*) nur oder besonders häufig in Afrika vor", id vel illo Varronis loco refutatur.

locus); XV, 12, 3 (inter duos C. Gracchi locos insertum); XVII, 21, 40 *tunc deinde post. Inde porro* Gell. I, 14, 2 ∾ Cato J. p. 35, 15; *tum porro* XIV, 7, 8 ∾ Plaut. Trin. 945 *deinde porro.* *Claudius fr. 10 P *deinde continuo* ∾ G. VI, 3, 37 *deinde paulo infra*; XVI, 3, 8; X, 26, 3; II, 13, 5 *inde infra*; V, 18, 6 *ordine deinceps*[1]).

*Varro fr. p. 349 Bip. (G. III, 14, 2) *contra autem*; *Val. Aedituus fr. 2 B (G. XIX, 9, 12) *at contra* ∾ *sed contra* G. I, 6, 3; V, 4, 2; VI, 3, 47; XIV, 2, 19; *contra autem* I, 15, 15; VII, 16, 6; XX, 8, 7. De Plauti et Ter. usu cf. Holtze II, p. 349 et Hand I, p. 583.

Etiam quoque G. XVIII, 12, 9; I, 2, 14 ∾ Varro r. r. I, 13. Brix ad Men. 1160. Reisig-Haase p. 480 adn. 613 b. — *Et quoque* G. I, 5, 1. *Quoque simul* G. V, 21, 12. 13 ∾ apud Plautum saepissime cf. Lorenz ad Most. 1096; *item etiam* G. XIV, 6, 4; *adeo tam* G. VI, 17, 3[2]). De Varronis locis cf. Krumbiegel l. c. p. 60 sq., de comicorum Holtze II p. 365[3]).

§ 8. Non raro duplex negatio ponitur ad augendam negandi vim imprimis apud comoediarum scriptores, cuius abundantiae usus insequentibus temporibus magis magisque evanuit[4]). Quodsi eandem abundantiam apud Gellium legimus, hac quoque re eum veteres imitari contendimus:

G. XVII, 21, 35 *neque haud*[5]) *longe post* ∾ Plaut. Men. 371; Epid. 664 *neque ille haud obiciet mihi*; Ter. Andr. 205 *ne temere facias: neque tu haud dices tibi non praedictum*[6]). G. IV, 1, 5 *si nemo id non nimis barbare fecerimus* ∾ Pl.

---

[1]) *Ordine deinceps,* ut ex Hermanni Rassow Plauti substantivorum indice F. J. Spp. 12 (1881) s. v. *ordine* intellexi, Plautinum non est.

[2]) In Thesauro Linguae Latinae s. v. *adeo* neque illum Gellii locum inveni neque alios ubi eadem verba coniuncta sint.

[3]) Altera duarum notionum adverbialium similiter his quoque locis abundat: Varro r. r. III, 5, 6 *in recluso clam* ∾ Gell. X, 12, 5 *in medio palam.* cf. G. I, 11, 9 *in conspectu longinquo procul*; XII. 8, 6 *ibidem in campo statim.*

[4]) Cf. Stolz-Schmalz, p. 456. Konjetzny l. c. p. 350.

[5]) *Haut* Q, *ita* ω.

[6]) Plura invenies apud Holtze II, p. 324, Lorenz ad Mil. 1399, Draeger II² § 318. De Varronis locis disp. Keil, Comment. ad Varr. r. r. I, 2, 33.

Mil. 1411 *Iura te nociturum non esse homini de hac re nemini*; Ennii Erecth. fr. 3 Vahlen *Lapideo sunt corde multi, quos non miseret neminis.* G. X, 26, 5 *verbum 'transgredi' convenire non putavit neque volitantibus neque*...; III, 4, 1 *scriptum legimus... eum cum esset reus, neque barbam desisse radi neque non*[1]) *candida veste uti neque fuisse cultu solito reorum* ∾ Plaut. Curc. 579 sq. *ut ego tua magnifica verba neque istas magnas minas non pluris facio quam* cett. G. XVI, 2, 10 *nam si non*[2]) *habere se negaverit.* ∾ Plaut. Epid. 532 *neque nunc ubi sit, nescio*[3]).

Caput II.

De ratione qua singulae notiones a Gellio coniungantur.

§ 9. Iam breviter mihi dicendum est de figura illa orationis quam asyndeton nominamus. Asyndeton trium vel plurium membrorum ut vetustiores ita optimi scriptores Latini saepe adhibent ut ab utris Gellius sua derivaverit vix dignoscamus. Paulo gravioris momenti videtur esse dissolutio bimembris, quam figuram apud vetustiores usitatissimam aureae aetatis scriptores nisi affectus movendi gratia rarissime adhibent[4]). Gellii loci, praeter eos quos supra § 7, ubi de abundantia mihi disserendum fuit, iam attuli et qui hic, ut docui, sunt vix inserendi, hi sunt:

a) substantiva: I, 5, 2 *compellationibusque probris intactus est*; VI, 1, 8 *moenibus defensoribus validum et munitum*; XVIII, 10, 1 *aquis et lucis nemoribus*[5]) ∾ Cato orat. de sumptu suo II J *bona liberos*; id. XVIII J *servi ancillae*; Varro r. r. I, 58; Sis. fr. 76 P *iumenta pecuda.*

---

[1]) *Neque non cand.* ω, *non* del. Gruppe, Hosius.

[2]) *Si non habere* ω, *non del.* Gruppe, Hertz, Hosius.

[3]) *Nescio* P, *scio* rel. cod.

[4]) Preuß, De bim. diss. ap. script. Rom. usu soll., Diss. Erl. 1881. Norden, Ind. lect. Gryph., 1897, p. 55 sqq. Sjögren, De particulis copulativis apud Plautum et Terentium quaestiones sel., Upsala 1900, p. 11 et 133 sqq. Leo, Analect. Plaut. III, 1906. Woelfflin, Archiv XI, p. 29 et 30. Idem, Die Inschrift der columna rostrata, Sitzber. d. K. b. A. d. W. ph.-h. Kl., München 1890, p. 304. Nägelsbach-M.[7] p. 657.

[5]) Cf. Fronto, p. 10, 48, 53, 55, 120, 155, 252 N. Apul. met. IV, 8 *fortunae copiam quam nostra vi virtute nacti sumus.*

b) adiectiva et verba: XVI, 19, 8 *re bona multa*; III, 3, 13 *retractatae expolitae*[1]) *sint* ∾ Cato de a. c. 35, 1 *in loco aperto celso*; Varro r. r. I, 9, 5 *prata retorrida muscosa*. Plura invenies apud Norden l. c., Woelfflin l. c., Krumbiegel l. c. p. 25, Sjögren l. c., Preuß l. c., Keil, Comment. ad Varr. r. r. II, 4, 3, ad Catonis de a. c. p. 100, Altenburg l. c. p. 490.

§ 10. De particulis copulativis.

a) Valde miramur quod Cato *atque* particulam iterum iterumque deinceps adhibet, ut iam Hertzius[2]) docuit, qui hac re Frontonem et M. Caesarem discipulum eius Catonem imitari his Marci verbis illustravit (epp. ad M. Caesarem et inv. II, 13 p. 36 N): *uni M. Porcio me dedicavi* a t q u e *despondi* a t q u e *delegavi; hoc ipsum 'atque' unde putas? ex ipso furor* (sic! cf. Hertz l. c.). Woelfflinius quoque hanc Catonis proprietatem observavit quam Quadrigarium[3]) et Sallustium[4]) sibi ad imitandum proposuisse existimat.

Ex Catonis exemplis multis haec duo protulisse satis habeo quibus praecipue illius particulae coacervationem cognoscimus:

*Cato 21, 8 (G. VI, 3, 14, quem locum G. iterum laudat XIII, 25, 14) *Scio solere plerisque hominibus rebus secundis* a t q u e *prolixis* a t q u e *prosperis animum excellere* a t q u e *superbiam* a t q u e *ferociam augescere* a t q u e *crescere*; id. orat. p. 55, 9 J *dicere possum quibus villae* a t q u e *aedes aedificatae* a t q u e *expolitae maximo opere citro* a t q u e *ebore* a t q u e *pavimentis Poenicis sient.* Itaque Gellium Catonem imitari his locis negare non possumus[5]): I, 23, 1 *cum multa quidem venustate* a t q u e *luce* a t q u e *munditia verborum* (G. hic suis verbis, ut ipse dicit, narrat Catonis illam de Papirio Praetextato historiam); X, 3, 13 *i m p e n s e* a t q u e *acriter* a t q u e *inflammanter* (hoc in capite G. Catonis de falsis pugnis orationem laudat); VI, 3, 52 *distincte nimis* a t q u e *compte* a t q u e *modulate*

---

1) Sic libri Hertz; *expolitaeque* ed. vet.; ⟨*et*⟩ *expolitae* Carrio Hosius.
2) V. G. a. p. 23 adn. 52.
3) Archiv XV p. 15.
4) Archiv XI p. 32.
5) Locos congessit Gorges l. c., Draeger II² p. 54.

res acta est (hoc in capite Catonis illum, quem supra commemoravi, locum nobis tradit Gellius); II, 2, 9 *In publicis locis atque muneribus atque actionibus* (hoc in capite Quadrigarius a G. laudibus effertur); VI, 19, 1 *Pulchrum atque liberale atque magnanimum factum Tiberii Sempronii Gracchi*; II, 18, 1 *imperfecte atque praepostere atque inscite*; XII, 1, 9 *filium proprii atque consueti atque cogniti sanguinis alimonia privare*; XVII, 1, 1 *parum integre atque improprie atque inconsiderate. Atque alia quaedem neque ... neque digna sunt.*

b) Raro apud optimos scriptores nec saepius apud poetas complures notiones *que* particula repetita inter se coniunguntur[1]), quem usum in vetustissimis scriptis frequentiorem esse docet Woelfflin[2]); cf. *Ennius ap. Gell. XII, 4, 4:

Quocum multa volup sibi fecit clamque palamque.
... facit et mores veteresque novosque tenentem
multorum veterum leges divumque hominumque ∾

Gell. XVI, 2, 1 *existumantur indoctique esse disputandique morem atque rationem non tenere*; quibus commotus codicum lectionem contra omnes editores pugnans retineo: V, 6, 10 *Hanc coronam gramineam senatusque*[3]) *populusque Romanus Q. Fabio dedit.*[4])

c) Nonnunquam veteres *et* postremae tantum complurium sententiae partium addunt, a quo usu urbani quidem scriptores prorsus abhorrent[5]): Cato de a. c. 2, 7 *boves vetulos, armenta delicula, oves deliculas ... servum morbosum ... et si quid*

---

[1]) Draeger II² § 322.

[2]) Woelfflin, col. rostr., Sitzber. d. K. b. A. d. W., 1890, p. 297; cf. Holtze II p. 332. Apud Ciceronem, si Mergueti lexicis fides habenda est, hic usus non invenitur.

[3]) Sic codd. VPR.

[4]) Plauti Terenti Ennii exemplorum magnum numerum collegit Sjögren, De partic. copulat., p. 130 sqq., ubi fere semper, ut hoc Gellii et illo Ennii loco, duae notiones contrariae coniunguntur: e. g. Stich. 103 *nosque teque*; Cas. 51 *paterque filiusque*; Trin. 877 *liberosque bonaque.* De dactylicorum usu loquitur Christensen in Archiv f. Lex. XV, p. 167 sqq. In Aemilii Ballas Grammatica Plautina (De particulis copulat.), diss. Gryph. 1867, de *que* particula hoc modo usurpata nihil invenitur.

[5]) Madvig, Lat. Sprachlehre § 434 adn. I; cf. Altenburg l. c.

aliud supersit vendat ∾ Gell. X, 23, 2 *loream, passum, murinam et quae id genus sapiant potu dulcia.* — Varro r. r. III, 13, 3 *cervorum aprorum et ceterarum*; id. I, 41, 4 *ficus, malus Punica et vitis*; id. 68; III, 12, 2; Cato de a. c. 44; 61, 1; 84; 155, 1; cf. Corn. Sis. fr. 105 P, Keil Comment. ad Varronis r. r. I, 4, 1, Krumbiegel l. c. p. 26, Altenburg l. c., H. Sjögren De partic. cop. l. c. — Ex Gellio afferunt Gorges l. c. et Ebert l. c.: V, 1, 1 *moventur, exagitantur et gestiunt*; X, 22, 24 *constanter, fortiter et perite*; II, 1, 2; IX, 11, 7; X, 23, 2 (videas supra); XVII, 19, 4; II, 24, 14; XIV, 1, 29; XIV, 5, 2, omisso hoc loco: XIX, 8, 13 *et pulvis, ventus et fumus*, ubi Skutschio assentiri non possum qui lacunam ante *et p.* indicat.

§ 11. De coordinatione locutionum.

Cum illa abundantia adverbii, imprimis antecedentis, de qua supra § 2, 3 b disserui, arte cohaeret coordinatio locutionum. Nam ut ibi ita hic scriptoris incultioris est, cum totum orationis cursum non praevideat, locutioni qua non satis accurate omnia quae mente concepit exprimantur alteram locutionem apponere. Sed hic non tam abundantia oritur quam coordinatio, cuius ratio, ut Norden[1]) satis bene dicit, ea est ut praeponatur 'substantivum generale, cui cum species debeant subiungi potius adiungantur'.

1. Saepissime usurpatur a Gellio coordinatio notionum locali significatione praeditarum atque hic quidem usus apud scriptores omnium aetatum[2]) (quamquam apud urbanos, ut videtur, rarius) invenitur, ut Gellium hac in re priscos imitari concedere non cogeremur, nisi magna copia locorum ad eam sententiam deduceremur.

a) Notiones mere locali significationi praeditae coniunguntur in his exemplis: Cassius Hemina fr. 23 P *in area in Capitolio* — pro *in area Capitolina*[3]); Varro l. l. VI, 27 *in Capitolio in curia Calabra* — pro quo, ut Nordeni verba afferam, melius

---

[1]) Norden, Rh. M. 48 p. 547.

[2]) C. F. W. Müller, Festschrift für L. Friedlaender, Leipzig 1895, p. 543 sqq., cuius divisionem sequor. Kühner II 1 p. 163.

[3]) Cf. Gell. II, 10, 2 *aream Capitolinam*; XX, 1, 2 *in area Palatina.*

dixisset: *in Curia Calabra, quae est in Capitolio*; *Vetus S C ap. G. IV, 6, 2 *in sacrario* ⟨*in*⟩[1] *regia* ∾ G. III, 9, 2 *Argis in terra Graecia*; IV, 6, 1 *in sacrario in regia*; II, 10, 3 *in area sub terra* — pro in *area subterranea* vel *in area quae sub terra est*; III, 1, 1 *apud balneas Titias in area*; II, 22, 1 *apud mensam Favorini in convivio.* Cf. Varro r. r. II, 1, 26 *in hibernis habent in villis mulieres.*

b) Totum et pars coniuncta sunt, ubi indicatur, qua in parte totius rei quicquam fiat: Varro l. l. VII, 109 *in illis* (sc. libris) *qui antea sunt, in primo volumine est quae dicantur cur* . . .; id. l. l. VII, 17 *Delphis in aede ad latus est quidem* — pro *ad latus aedis*; id. l. l. VII, 21 *in Latio aliquot locis*; r. r. II, 4, 11 *in Hispania ulteriore in Lusitania* cf. VI, 1, 5 ∾ G. V, 4, 1 *apud Sigillaria in libraria*; XIX, 3, 7 *sub urbe in rusciculo*; XVII, 9, 2 *in epistulis quibusdam in locis*; II, 19, 8 *in libro in re tristi*; IV, 5, 4 *in area Vulcani sublimiore loco* cf. Keil Comm. ad Varr. r. r. II, 5; Altenburg l. c.; Lorenz ad Most. 1120; C. F. W. Müller l. c.

2. Aliarum quoque notionum coordinationem ut apud veteres ita apud Gellium legimus quamquam apud hunc rarius[2]: Varro l. l. II, 4, 9 *nuptiarum initio antiquissimi reges ac sublimes viri in Etruria in coniunctione nuptiali nova nupta ac novus maritus primum porcum immolabant.* cf. r. r. II, 5, 9; II, 5, 18; II, 11, 6; III, 3, 8; II, 4, 2 *itaque proavos ac superiores de Tremellis nemo appellatus Scrofa*[3]; *Calp. Piso fr. 27 P (G. VII, 9) *hi contemnentes eum assurgere ei nemo voluit.* cf. Cato de a. c. 27 *sementim facito ocinum viciam* pro *ocini viciae*; id. 122 ∾ G. III, 7, 6 *hostes . . . ubi id viderint, fortissimus quisque et promptissimus . . . praevertentur*; id. 13 *mittit advorsum illos imperator Carthaginiensis peditatum equitatumque, quos in exercitu viros habuit strenuissimos* — pro *peditatus equitatusque*[4]. Hi duo loci quin e Catone assumpti sint vix quisquam dubitare potest, quamquam Gellius

---

[1]) Sic recte suppletum est in editionibus veteribus.

[2]) Hunc usum optimi scriptores videntur fere vitare. C. F. W. Müller l. c. de eo nihil habet.

[3]) Cf. Krumbiegel l. c. p. 53.

[4]) Cf. Norden l. c.

ipse, postquam illam de Q. Caedicio historiam narravit, sic orationis finem facit (§ 18): *Sed quod illi tribuno . . . divinitus in eo proelio usus venit, non iam nostris sed ipsius Catonis verbis subiecimus: 'Dii cett.'*; II, 28, 4, 5 *de lunae solisque defectionibus non minus in eius rei causa reperienda se exercuerunt* (hoc in capite Cato et Varro laudantur); II, 15, 7 *super his autem, qui caelibes ambo sunt, . . . nihil scriptum est in lege de aetate*[1]; III, 10, 5 *dies deinde illos, quibus alcyones hieme anni in aqua nidulantur*[2].

Ex coordinatione ortum esse vix negari potest usum illum quo *id genus, hoc genus, quid genus, quod genus, omne genus* substantivis vel adiectivis apponuntur, nam Cato eas formas non nisi cum nominativo vel accusativo nominis coniungit. Quare hoc loco mihi de illo usu disputandum est, quamquam posteriores, Varrone ut videtur auctore[3], *id genus* cett. adverbii loco usurpant. Atque ut Thielmannum[4] et Woelfflinium[5] sequar apud Plautum *id genus, hoc genus* al. illo modo usurpatum non occurrit. Primus Cato illum usum admisit: de a. c. 8, 2 *hortum omne genus, coronamenta omne genus.* Deinde Lucil. 408 Marx *id genus rudus*; 468 *nebulo, id genus sane;* 1076 *aliquae id genus herba*; cf. 144; 534. Varro de l. l. VIII, 7; 108; IX, 63; 156; IX, 160; r. r. I, 29, 1; II, 1, 23; I, 14, 3; III, 9, 17; II, 10, 1; III, 5, 11. Apud posteriores hic usus exolevit, ut apud Ciceronem unum ex. (ad Att. XIII, 12, 3), apud Caesarem nullum inveniatur, cf. Thielmann l. c. 61 [407]; Krebs-Schmalz, Antibarbarus der lat. Sprache[7] vol. I p. 622; Stolz u. Schmalz, Lat. Gramm.[3] p. 232. Gellius ergo hic quoque Varronis genus dicendi, quem quanti aestimaverit saepissime cognovimus, imitatus esse videtur, praesertim cum unum Varronis exemplum ipse nobis tradiderit: *Varro Men. 333 B. (G. XIII, 11, 5) *de id genus rebus.*

Ex Gellio Gorges l. c. p. 28 sq. affert triginta sex exempla, quae singula hic enumerare alienum puto. Saepe etiam apud Frontonem, Apuleium, Tertullianum hunc usum invenimus[6], ut

---

1) Ex Varronis certe quibusdam libris; cf. Hosius ed. praef. p. XXVII.
2) Certe ex Varr. l. l.; cf. Hosius p. XXX.
3) Woelfflin, Archiv V, 397.
4) Thielmann l. c. p. 67 [407].
5) Woelfflin l. c. p. 388.
6) Cf. Thielmann l. c. Woelfflin, Arch. V, p. 388 et VII p. 477.

cum apud scriptores infimae Latinitatis plane evanuerit omni dubitatione solutum sit quin veteres illis huius usus auctores fuerint.

Caput III.

De nonnullis proprietatibus quae in sententiis nectendis Gellio cum veteribus communes sint.

Magna est similitudo Gellii et veterum scriptorum in sententiis conectendis, qua in re illi ab optimis scriptoribus differunt. Nam hi id potissimum egerunt ut singulas sententias artiore nexu inter se coniungerent, sive ut sententia perlucidior fieret sive elegantiae studio quodam commoti. Ita etiam factum est ut enuntiationes secundarias summa arte compositas quae altera ab altera dependerent adhiberent. Gellius autem et veteres plerumque breves sententias inter se coordinatas adhibent. Deinde in enuntiatis singulis conectendis urbani scriptores id effecerunt ut unaquaeque et sententiae pars et sententia suo munere fungeretur. Nam apud vetustiores, cum totum orationis cursum mente non comprehenderent, saepe accidit ut incongruentia quaedam oreretur, cum aut subiectum mutaretur aut sententiae pars omitteretur quae sine perspicuitatis detrimento non poterat detrahi. Item illi sententias incohatas saepe ad rectum finem non perduxerunt, ut insperata constructionis commutatio ad leges grammaticas parum accommodata oreretur. E contrario illi scriptores hanc sermonis obscuritatem illuminare student frequenti usu pronominum et adverbiorum demonstrativorum aut verbis aut sententiis iteratis. Haec quoque omnia Gellium a veteribus petivisse videbimus.

§ 12. Iam videamus coordinationem sententiarum.

Coniunctio finalis detracta est his locis: Gell. II, 29, 7 [1]) *roges veniant operamque mutuam dent*; XVII, 20, 5 *censeo videas*; XV, 31, 4 *petimus consideres*; XII, 1, 5 *oro te, mulier, sine eam totam integram matrem esse filii* ∾ *Claud. fr. 10^{b} P (G. IX, 13, 8) *significare coepit utrisque, quiescerent*; Plaut. Trin. 591 [2]) *tandem impetravi, abirent*; Varro r. r. III, 7, 1 *emas censeo*; id. l. l. VI, 91. *Vetus edict. praet. FIR^{6} p. 214, 5 (G. IV, 2, 1) *Titulus scriptorum singulorum scriptus sit curato*

---

[1]) E Q. Ennii certe satiris (lib. inc. II Vahlen).

[2]) Cf. Brix ad h. l., ubi plura invenies.

ita ut intellegi recte possit; *Coel. fr. 26 P (G. X, 24, 6) *die quinti Romae in Capitolium curabo tibi cena sit cocta*[1]). Haud ita raro in inscriptionibus dialecticis *curare* cum coniunctivo coniunctum invenitur, cf. inscr. Paelign. No. 353 v. Pl.: *a . . . t. nounis* (. * ?) *l. alafis. c herec. fesn upsaseter coisatens.*

Coordinatio his quoque locis subest: *Varro p. 255 R (G. XIII, 4, 2) *amabo mi fili quiescas* ∾ Gell. V, 21, 6 *amabo te, . . . velim doceas*; IV, 1, 4 *'amabo' inquit, 'magister quidquid est tibi nomen, abunde multa docuisti . . .'* Hanc formam verbi *amare* hac significatione apud Plautum et Ter. saepe usurpari notum est[2]).

§ 13. Verbum eundi alteri verbo coordinatur quamquam actio movendi alteri antecedit: G. XX, 10, 5 *eas igitur tu quoque et discas*; Plautum proxime accedit hoc loco XVII, 8, 8 *Verbero, nonne is curriculo*[3]) *atque oleum petis!* ∾ Plaut. Epid. 303 *Quin tu is intro atque huic argentum promis.* Plura veterum exempla ubi *ire* per *atque* vel *et* particulam cum altero imperativo coniunctum est invenies apud Sjögren de part. cop. p. 87 sqq. et p. 79.

Porro Gell. II, 2, 7 *fac amicos eas et roges*[4]) ∾ Ter. Ad. 917 *tu illas abi et traduce*; cf. Plaut. Aul. 95 sq., 270; Casina 229 *manum abi atque abstine.* Plura invenies apud Dziatzko-Kauer ad Ter. Ad. 917, ubi hanc constructionem sic definitam videmus: „Das Objekt und das Regens werden durch Einführung eines die Handlung vorbereitenden Verbs getrennt, welches logisch dem Hauptverb untergeordnet, grammatisch aber beigeordnet ist[5])".

---

[1]) Plura congessit Altenburg l. c.; cf. C. F. W. Müller, Krit. Bem. zu lat. Prosaikern, Landsbergae 1868, qui de verbo *curare* disputavit, et Skutsch, B. ph. W. 1900, p. 1104.

[2]) Cf. Langen, Beiträge, l. c. p. 290. Weninger, De parataxis Terentianae vestigiis, diss. Erl. 1888, p. 41. Loch, Zum Gebrauch des Imperativs bei Plautus, Progr. v. Memel 1871, p. 13. O. Seyffert, Studia Plautina, Berl. 1874, p. 1 sq. et p. 14 sq.

[3]) Id quoque Plautinum, nam *curriculo* cum verbis movendi saepe coniunctum videmus apud comicos: Plaut. Mil. 525; Stich. 337; *ire curriculo* Rud. 798, 855; Ter. Ad. 733 *curriculo percurrere.* Cf. Lorenz[2] ad Most. 362. Holtze I, 172. Item *verbero* Plautum olet vel Terentium, cf. Dziatzko-Hauler ad Ter. Phorm. 684.

[4]) Nisi ipsa verba hausta sunt ex Ennio.

[5]) Cf. tab. Ig. IV, 21 *inumek tehteřium etu veltu eřek persuntre antentu.*

§ 14. Imperativo antecedente saepe a Gellio particula condicionalis vel consecutiva omittitur: XIII, 21, 4 *verte enim et muta ut 'urbes' dicas: insubidius nescio quid facies*; 5 *muta ut 'urbis' dicas: minus exilis vox erit*; 11 *pensicula utrumque modulareque: reperies suo quidque in loco sonare aptissime*[1]). ∾ Cato de a. c. 95, 2 *hoc vitem circum caput et sub bracchia unguito: convolvulus non nascetur*; id. 122 *id mane ieiunus sumito cyathum: proderit*; Varro r. r. I, 2, 25 *cucumerem anguinum condito in aquam eamque infundito quo voles: nulli accedent.* Altenburg l. c. p. 58; Krumbiegel l. c. Apud Ciceronem talia non inveniri contendit Jordan[2]).

His perpensis codicum lectio retinenda esse mihi videtur: XIII, 22, 1 *equidem maluissem vos togatos esse, pigitum est, cinctos saltem esse et paenulatos*; sic habent libri omnes. ⟨*si*⟩ *pigitum est* Dziatzko, quem secuti sunt Hertz et Hosius, rectum paene iam J. Gronovius assecutus est, qui sic scribere vult: — *pigitum est!* — Cf. Ter. Ad. 118 *amat: dabitur a me argentum*; 120 *fores effregit: restituentur*; Heaut. 487 *denegaris: ibit ad illud ilico*[3]).

§ 15. Subordinationem certe exspectamus his locis: I, 23, 13 *Senatus fidem atque ingenium pueri exosculatur, consultum facit, ut* ... (Cato contra Galbam fr. 39 J) ∾ *Cato p. 56 fr. 3 J (G. III, 14, 19) *Homines defoderunt in terram dimidiatos ignemque circumposuerunt, ita interfecerunt*; *Calp. Piso (G. VII, 9) *Cn. Flavius scriptum faciebat, isque in eo tempore aedili curuli apparebat.*

§ 16. Eandem coordinationem in enuntiatis secundariis videmus: G. XX, 1, 3 *mentiost legum decemviralium, quas decemviri ... composuerunt, in duodecim tabulas conscripserunt,* nam hic actionem componendi actioni conscribendi anteire apparet ∾ Coel. Antipater fr. 30 P *imperator conclamat, ut velites in sinistro cornu removeantur, Gallis non dubitatim immittantur* — pro *remoti immittantur*; cf. G. I, 9, 12.

---

1) Gorges l. c. p. 45.

2) Jordan, Krit. Beiträge p. 269.

3) Draeger II² p. 213—221. In Horatii quoque saturarum et epistularum libris eandem parataxin facile invenies.

§ 17. Duo enuntiata secundaria eadem coniunctione incohata, quamquam antecedens posteriori subordinandum est, coordinata videmus, id quod quin assidui scriptores, quos Gellius vocat, vitent omni dubitatione solutum est: G. XIII, 2, 1 *Cum Pacuvius ... Tarentum ex urbe Roma concessisset, Accius tunc haut parvo iunior proficiscens in Asiam, cum in oppidum venisset, devertit ad Pacuvium* — pro *Ad Pacuvium ..., qui Tarentum ... concesserat, Accius ... cum in illud oppidum venisset, devertit* ∾ Varro l. l. IX, 33 *pugnant volsillis, non gladio, cum pauca excepta verba ex Pelago sermonis populi minus trita afferant, cum dicant propterea analogias non esse* — quod alius dixisset *cum propter pauca excepta verba ... minus trita allata analogias non esse dicant*[1]). Cf. id. l. l. VIII, 27; X, 5; r. r. II prol. 6; 3, 6. Cato de a. c. 2, 1 *pater familias ubi ad villam venit, ubi larem familiarem salutavit, fundum ... circumeat.* — G. XI, 16, 4 *nihil erat prorsus quod aut meminissem legere me aut, si etiam vellem fingere, quod non insigniter asperum absurdumque esset, si*[2]) *ex multitudine et negotio verbum unum compingerem*[3]) ∾ Cato LIl, 1 J *Audite sultis milites, si quis vestrum bello superfuerit, si quis non invenerit pecuniam, egebit*; Varro l. l. VI, 37 *quare si quis primigeniorum verborum origines ostenderit, si ea mille sunt ...* — Complures enuntiationes relativae ab uno substantivo dependent, id quod optimi scriptores vitant: G. II, 20, 4 *Vivaria autem quae nunc volgus dicit, quos παραδείσους Graeci appellant, quae leporaria Varro dicit*[4]), *haut usquam memini apud vetustiores scriptum* (quod Varronis esse ipse videtur dicere) ∾ Varro l. l. V, 147 *quod ibi domus fuerit, cui cognomen fuerit Marcellum, quae ibi publice sit diruta, e qua aedificatum hoc, quod vocatur ab eo Marcellum*; cf. l. l. VIII, 40.

§ 18. Quamquam Cicero et optimi scriptores reliqui id agunt ne subiectum saepius commutetur, quam ad rem eis

---

1) Cf. Altenburg p. 510.

2) ⟨*velut*⟩ *si* Skutsch.

3) Rectius: *aut si etiam vellem fingere verbum unum ex multitudine et negotio compactum, quod non asperum absurdumque esset.*

4) *Quae — dicit* del. Hertz.

subordinatio sententiarum magno usui est, veteres et Gellius hanc subiecti commutationem fere non vitant. Quare apud eos plerumque, ut perspicuitas augeatur, verba quae maximi momenti sunt, imprimis nimirum subiecta, primum singularum deinceps sententiarum locum obtinent: *C. Gracchus ORF² p. 236 (G. X, 3, 3) *Nuper Teanum Sidicinum consul venit. Uxor eius dixit, se in balneis virilibus lavari velle. Quaestori Sidicino datum est negotium uti exigerentur . . . Uxor renuntiat viro parum cito sibi balneas traditas esse et parum lautas fuisse. Itaque palus destitutus est in foro, eoque adductus suae civitatis nobilissimus homo M. Marius. Vestimenta detracta sunt, virgis caesus est. Caleni, ubi id audierunt, edixerunt, ne . . . vellet . . . Ferentini ob eandem causam praetor noster quaestores arripi iussit.* *Calp. Piso fr. 8 (XI, 14, 2) *Eundem Romulum dicunt . . . non bibisse . . . Ei dicunt . . . His respondit*; cf. *Calp. Piso fr. 27 (G. VII, 9); M. Aemilius Scaurus p. 260 FOR² *M. Varius Hispanus M. Scaurum principem senatus socios in arma ait convocasse. M. Scaurus princeps senatus negat, testis nemo est. Utri vos creditis?* ib. *Varius Sucronensis Aemilium Scaurum, regia mercede corruptum, imperium populi Romani prodidisse ait; Aemilius Scaurus huic se affinem esse culpae negat. Utri creditis?* ∾ Gell. I, 23, 5 sqq. *Mater Papirii pueri . . . percontata est . . . Puer respondit . . . Mulier fit audiendi cupidior; secretum rei et silentium pueri animum eius ad inquirendum everberat: quaerit igitur . . .* (Gellium hoc in capite Catonis dicendi genus servare iam saepe docuimus); G. II, 23, 15—18 *Filia hominis pauperis in pervigilio vitiata est. Ea res clam patrem fuit et habebatur pro virgine. Ex eo vitio gravida mensibus exactis parturit. Servus bonae frugi . . . gemitum et ploratum audit* (hoc nihil videtur esse nisi Caecilii verba versibus solutis)[1]; I, 19, 3 (ex Varronis rer. div. IV, cf. Hos. in praef. ed. p. XXV) *Tarquinius pretium*

[1]) Gellium hoc loco 'sermonem vetusculum appingere', ut Frontonis verbis utar, etiam ex illo *clam patrem* intellegimus, quod Gellium ex Caecilio desumpsisse existimat Knapp (Transactions of the Amer. Phil. Ass. XXV [1894], 5 p. 20); cf. Woelfflin, Archiv VII, 278. Holtze I, 213. Draeger I, 663. Langen, Beiträge p. 299 sq.

percontatus est. Mulier . . . poposcit. Rex . . . derisit. Tum illa . . . regem interrogavit. Sed enim Tarquinius id multo risit magis . . . Mulier . . . rogat. Tarquinius intellegit; VI, 20, 1 *Scriptum repperi . . . Vergilium petisse a Nolanis . . . Nolanos beneficium petitum non fecisse, poetam offensum nomen urbis eorum . . . derasisse*; VI, 19, 3—4 *L. Scipioni Asiatico . . . C. Minucius Augurinus . . . multam irrogavit . . . Scipio Africanus . . . petebat . . . octo tribuni cognita causa decreverunt*; III, 15, 4 *atque is adulescens non diu post ex ea pugna in urbem redit, anus repente filio viso . . . oppressa exanimataque est.*

§ 19. Ubicumque subiectum mutatum non exprimitur in coordinatis sententiis, ibi obscuritatem oriri apparet: Coelius fr. 44 *Ipse regis eminus equo ferit pectus advorsum, congenuclat* (sc. equus) *percussus, deiecit dominum* ∾ G. II, 23, 16[1]) *Ea res clam patrem fuit et habebatur pro virgine* (ex Caecilio)[2]); II, 3, 1 *atque id videntur* (sc. veteres nostri) *fecisse studio et exemplo linguae Atticae. Satis notum est Atticos* ἰχθὺν *et* ἵππον *et multa itidem alia contra morem gentium Graeciae ceterarum inspirantis primae litterae dixisse. Sic 'lachrumas', sic 'sepulchrum', sic 'ahenum' . . . sic 'honustum' dixerunt* (sc. nostri)[3]).

In enuntiatis secundariis: V, 9, 10 *Nam cum in sacro certamine sortitio inter ipsos et adversarios non bona fide fieret et sortem nominis falsam subici animadvertisset, repente in eum qui id faciebat . . . magnum inclamabat.*

§ 20. Veteres scriptores ipsos sensisse illa re sermonem suum saepe parum accuratum fieri inde intellegas quod idem verbum iterum iterumque anxietate quadam commoti adhibent, velut *Calp. Piso fr. 27 (Gell. VII, 9, 2) *Cn. Flavius . . ., inquit, scriptum faciebat, isque in eo tempore aedili curuli ap-*

---

[1]) Cf. G. VII, 3 (Aelii Tuberonis hist. fr. 8 P) *Tubero . . . scriptum reliquit . . . Regulum . . . proelium grande et acre fecisse advorsus unum serpentem in locis stabulantem invisitatae immanitatis, eumque* (sc. serpentem) *magna totius exercitus conflictatione ballistis atque catapultis diu oppugnatum, eiusque interfecti corium . . . Romam misisse* (sc. Regulum).

[2]) De hoc loco cf. supra p. 35 adn.

[3]) Quare non recte supplevisse apparet Dziatzkonem: ⟨*nostri*⟩ *dixerunt.*

parebat, quo tempore a e d i l e s *subrogantur, eumque pro tribu* a e d i l e m c u r u l e m *renuntiaverunt.* A e d i l e m *qui comitia habebat negat accipere, neque sibi placere, qui scriptum faceret, eum* a e d i l e m *fieri. Cn. Flavius . . . dicitur . . . scriptu se abdicasse isque* a e d i l i s c u r u l i s *factus est.* Sic *brassica* vocabulum apud Catonem legitur de a. c. 156, 1 (bis); 2; 5; 6; 7 (bis); 157, 1 (ter); 2; 4 (quater); 7 (ter); 8; 9; 10 (bis); 12 (bis); 13 (bis); 15; 16 (bis); 158, 1. Multa alia eius abundantiae exempla apud veteres facile reperiuntur. — Eandem verborum cumulationem apud Gellium quoque videmus: XIII, 14 (ex Val. Messalae lib. de aug. cf. Hos. praef. p. XLVII) *'P o m e r i u m' quid esset, augures populi Romani . . . istius modi sententia definierunt:* P o m e r i u m *est locus . . . Antiquissimum autem* p o m e r i u m *. . . terminabatur. Sed id ipsum* p o m e r i u m *prolatum est . . . Habebant autem ius proferendi* p o m e r i i *. . . Propterea quaesitum est . . . quam ob causam ex septem urbis montibus, cum ceteri intra* p o m e r i u m *sint, Aventinus solum . . . extra* p o m e r i u m *sit neque id . . . Sulla, qui proferendi pomerii titulum quaesivit, neque . . . Iulius, cum* p o m e r i u m *proferret . . ., inclusit,* cf. G. I, 25, 15 et 16, ubi *dies* quinquies repetitur (ex Varron. l. l.)[1]), cf. III, 3, 3 et 4.

§ 21. Porro saepissime a Gellio substantivum, ad quod pronomen relativum refertur, cum pronomine relativo coniunctum iteratur, cuius usus Gorges et Ebert viginti unum

---

[1]) Saepe apud Gellium *inquit* in oratione recta iteratur e. g. XVII, 19, 3 *'cum',* i n q u i t, *'animadverterat hominem omnia praeterquam animam procurantem, istiusmodi'* i n q u i t, *'hominem cum viderat . . .'* Cf. II, 9, 2—3; III, 11, 5; III, 14, 17; XII, 1, 5 et 7; XII, 5, 7 et 10 (bis); XIV, 1, 8; XIV, 2, 14; XVI, 8, 6; XVII, 18, 2. — Apud Graecos quoque velut in Platonis dialogis saepe repetitur verbum, quod videtur locum signorum illorum tenere, quibus nostris temporibus oratio recta indicatur. Neque dubito quin illum usum amplioribus finibus persequendo nonnulla invenire possimus quae ut veterum collocationem signorum melius intellegamus efficiant. Atque omnino opus illud desideratur quo veterum usus et collocatio signorum universe tractetur. E veterum dictis nonnulla contulit K. E. A. Schmidt, Beiträge zur Geschichte der Gramm. d. Lat. u. Griech., Halle 1859, p. 506—570. De origine et usu signorum illorum, quae nos 'Anführungsstriche' vocamus cf. Dr. Alex. Bieling, Das Prinzip der deutschen Interpunktion, Berlin 1880, p. 14.

exempla afferunt. Omiserunt illi: XV, 6, 1 *error* — *quem errorem*; XII, 15, 1 *huiusmodi* — *cuius modi.* Existimare licet Gellium hac quoque re veteres imitari, quamquam aperte demonstrari non potest. Nam apud optimos quoque scriptores idem usus non raro invenitur, de quo docte disputavit Thielmann l. c.

Neque certius de substantivo cum pronomine demonstrativo iterato iudicium proferre possumus. Hic quoque usus saepissime apud Gellium occurrit. Undeviginti locis quos Gorges p. 64 et Ebert p. 583 afferunt addo: XIII, 14, 2 *pomerium* — *id pomerium*; XV, 7, 3 *in epistula* — *eiusque epistulae*; XIV, 5, 2 *syllaba* — *eamque syllabam*; XV, 3, 1—2 *librum* — *in eo libro*; XVI, 3, 6 *librum* — *in eo libro*; XVI, 10, 1 *liber* — *in eo libro*; V, 19, 9 *rogationem* — *eius rogationis*; VII, 10, 2—3 *decreto* — *id decretum*; IX, 11, 10 *statuam* — *eius statuae*; XVII, 19, 3 *hominem* — *istius modi hominem*; XIV, 1, 4 *negotium* — *id negotium*, cf. XIII, 30, 1 *discessisse* — *eam discessionem*; V, 5, 1—2 *cavillatum esse* — *ea cavillatio*; id. XIII, 7, 1. — Tamen forte ex his locis: *Cinc. Alim. (mag. verba) G. XIV, 4, 4 *eum diem* — *eo die*; *Claud. fr. 57 P (G. II, 2, 13) *consul. Ei consuli*; *Cato XXXII, 1 J (G. XVII, 6, 1) *pecuniam* — *eam pecuniam* concludi potest quod sententiae meae faveat in hac quoque re Gellium veteres imitari sibi visum esse[1]).

§ 22. Item ubi optimi scriptores ambitus verborum rotundos struunt, ibi Gellius saepe singulas breves sententias quarum initio pronomen demonstrativum ponit adhibet. Ex magno exemplorum numero haec attulisse satis habeo: XX, 11, 1 *P. Lavini liber est non incuriose factus. Is inscriptus est de verbis sordidis. In eo scripsit* . . .; I, 8, 1 *Sotion* . . . *haud sane ignobilis vir fuit. Is librum multae variaeque historiae refertum composuit eumque inscripsit* κέρας Ἀμαλθείας. *Ea vox ferme valet tamquam si dicas 'cornum Copiae'*; cf. Cato 8, 16 J *Fana in eo loco compluria fuere . ea exauguravit praeterquam quod Termino fanum fuit . id nequitum exaugurari* —; porro: G. II, 18, 1 *Phaedon* . . . *Platonis*

---

[1]) Saepe eandem abundantiam videmus etiam apud Frontonem, cf. Ebert, Synt. Front. p. 344, et apud Apuleium, cf. Koziol l. c.

per fuit familiaris. Eius nomini Plato librum . . . dedit. Is Phaedon servus fuit . . . Eum Cebes . . . emisse dicitur . . . Atque is postea philosophus illustris fuit. Cf. VI, 1, 3; XII, 6, 9—10; XV, 22, 1—6; XI, 7, 6 *Item flocces audierat prisca voce significare vini faecem . . . idque apud Caecilium . . . legerat, eaque duo verba . . . servaverat*; cf. II, 7, 2; XI, 18, 1 sqq. *Draco . . . iuris divini et humani peritus fuit. Is Draco leges . . . tulit. In illis legibus . . . censuit sanxitque. Eius igitur leges . . . oblitteratae sunt. Postea legibus . . . a Solone compositis usi sunt. Is Solon e septem illis inclutis sapientibus fuit. Is sua lege . . . existimavit*; cf. *Cato 19, 9 J (G. III, 7, 19) *cum saucius multifariam ibi factus esset, tamen vulnus capiti nullum evenit, eumque . . . cognovere. Eum sustulere, isque convaluit.* Cf. Cato 13, 11 J; Cass. Hem. fr. 9 P.

§ 23. Si de homine quodam aut de re quadam Gellius locuturus est, brevem sententiam praemittit, cuius initio verbum illum hominem sive illam rem denotans ponit. Atque sequentis sententiae initio verbum illud pronomine *is* excipit, id quod supra iam nonnullis locis vidimus: G. V, 10, 5 *Euathlus, adulescens dives, eloquentiae discendae causarumque orandi cupiens fuit. Is in disciplinam Protagorae se dedit.* Item: XIII, 5, 3; V, 14, 1; VI, 2, 6; VII, 8; IX, 16, 1—2; XIII, 9, 1—2; XV, 2, 1—3; XIX, 1, 7—8 al. ∾ *Claud. fr. 10b (Gell. IX, 13, 4) *Cum interim Gallus quidam . . . processit, qui . . . ceteris antistabat. Is . . .* cf. *id. (G. IX, 13, 14); Cato 17, 1 J *Mapalia vocantur ubi habitant*[1]). *Ea quasi cohortes rotundae sunt*; cf. G. I, 20, 21 *'Linea' autem a nostris dicitur, quam* γραμμήν *Graeci nominant. Eam M. Varro ita definit.* De substantivo cum pronomine demonstrativo iterato iam supra locutus sum. Cicero, apud quem in initio narrationis similia exspectamus, ne in vetustioribus quidem orationibus illum veterum usum servavit, e. g. pro Rosc. 15 *Sex. Roscius, pater huiusce, municeps Amerinus fuit, cum genere et nobilitate et pecunia non modo sui municipii, verum etiam eius vicinitatis facile primus, tum gratia atque hospitiis florens hominum nobilissimorum. Nam cum Metellis . . .*

---

[1]) Sic interpungo.

§ 24. Iam de uno loco mihi dicendum est quo Gellium veteres imitari facile concedes. Nam notum est in periodis ubi duae enuntiationes secundariae inter se coordinatae ab uno enuntiato primario dependent has quinque collocationes ab optimis scriptoribus Latinis usurpari[1]: a : b A; a : A | b; A (a) A | b; A (a) A (b) A; a : A (b) A; sextam collocationem [(A | a) b], quae reliqua est, quamquam illi fere non usurpant, tamen in veterum fragmentis a Gellio allatis et apud Gellium ipsum invenimus: *Cato 10, 1 J (G. XVII, 13, 4) *neque satis habuit, quod eum in occulto vitiaverat, quin eius famam prostitueret*; *id. V, 1 J (G. VI, 3, 14) *quo mihi nunc magnae curae est, quod haec res tam secunde processit, ne quid in consulendo advorsi eveniat* ∾ Gell. VI, 4, 4 *est autem alia rationis opinio, cur dici solitum sit captivos sub corona venundari, quod milites custodiae causa circumstarent* . . .[2]).

§ 25. Saepe subiectum enuntiati secundarii sequentis in enuntiatum primarium antecedens obiecti loco trahitur: G. XIV, 2, 11 *faceret me ut . . . essem pudentior*; IV, 1, 16 *faciam te aequo animo ut sis*; XIX, 13, 2 *fac me . . . ut sim certus.* — Haec attractio apud Plautum imprimis usitatissima est: Most. 389 *patrem faciam tuom ne . . . eat*; Epid. 606; Asin. 28; Pers. 414 cett.; cf. Lorenz ad Most. 376 et Lindsay ad Capt. 557.

---

[1]) Nägelsbach-Müller, Lat. Stilistik, Nürnberg 1881[7], p. 495 sqq.

[2]) Veterum legum genus dicendi imitari G. videtur loco illo ubi Solonis legem, quam Aristoteles nobis tradidit, in linguam Latinam vertit. Nam cum apud Aristotelem singulas sententias legamus, Gellius unam longam periodum struit eis similem, quibus veteres leges suas composuerunt, id quod facillime Aristotelis (*Ἀθην. πολ.* c. 8, 30) et Gellii (II, 12, 1) verbis comparatis intelleges. Iam Lüders, ann. phil. 97, 51, de loco Gelliano ita iudicavit, quamquam ei tum (a. 1868) Aristotelis *Ἀθηναίων πολιτεία* nondum in manibus erat. Gellius omnino in Graecorum scriptis vertendis archaicum scribendi genus exercuisse videtur qua de re conferas G. XVI, 19. Nam hoc in capite, ubi Herodoti illam de Arione historiam (Her. I, 23) in linguam Latinam vertit, plurimas locutiones veterum, quas alibi tractavi, invenies. Neque parvi momenti videtur esse quod tres homines archaismi pariter studiosi eandem historiam exhibent, scilicet praeter Gellium Fronto quoque (p. 237 N) et Favorinus (Ps. Dio XXXVII, Corinthiaca vol. I p. 17 Arnim, cf. Norden K. P. p. 422 sq.). Cf. Wilamowitz, Hermae vol. XXV p. 224 adn. 1. Teuffel, G. d. R. L. § 355, 6.

*Scipio ORF² (G. VI, 12, 5) *eumne quisquam dubitet quin idem fecerit quod cinaedi facere solent*; M. Iunius Pennus ORF² p. 220 *non intellegunt trossulos nomen quid valeat.* Cf. Cato p. 77 J *Dicam de istis Graecis suo loco, quid Athenis exquisitum habeam*'; cf. Accius 19 R. — Similiter G. XIX, 2, 8 *Hippocrates de coitu venerio ita aestimabat, partem esse morbi taeterrimi*; XIX, 8, 5 *de 'caelo' et 'tritico' non infitias eo quin singulo semper numero dicenda sint.*

Cicero et scriptores argenteae quae dicitur aetatis non ita saepe attractionem illam adhibent[1]).

§ 26. Cum incultiorum scriptorum id proprium sit, ut notionem cui maximam vim tribuunt et primo loco ponant, saepe fit ut ubi enuntiatum secundarium enuntiato primario antecedit veteres sententiae secundariae partem coniunctioni vel pronomini relativo et interrogativo praeponant[2]), id quod optimi scriptores plerumque vitant[3]), qui pronomen vel aliam coniunctionem ut artiorem nexum cum praecedentibus efficiant adhibent. Atque praeponitur:

a) subiectum: Cato orat. J. p. 47, 17 *servi ancillae, siquis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit*; *id LXVIII, 1, 2 J *vir cum divortium facit, mulieri iudex pro censore est*; *Sempronius Asellio fr. 6 P (G. II, 13) *Nam Gracchus domo cum proficiscebatur, nunquam minus terna aut quaterna milia hominum sequebantur,* cf. *Ennius Sc. 200 Vahlen² (G. XI, 4, 3); *P. Nigidius (G. VI, 9, 5) *ut serpens si memorderit, gallina deligitur et apponitur*; Plaut. Bacch. 76 *miles cum huc adveniat te volo me amplexari*; Mil. 480 *Erus si veniet, si quaeret, hic ero.* Rud. 426 *otium ubi erit, tum tibi operam . . . dabo*; Ter. Andr. 35 *Ego postquam te emi . . ., scis.* 705 *Dies hic mihi ut satis sit, vereor* cett. — G. VI, 3, 6 *Legati postquam . . . ex curia excesserunt,*

---

[1]) Cf. Stolz-Schmalz p. 470. De Frontonis usu cf. Ebert, Acta Sem. Erl. II, 353.

[2]) Ioseph Bach, De attractione quae dicitur inversa apud scriptores Latinos, Straßburg 1888, Progr. p. 67. Dziatzko-Hauler in append. ad Ter. Phorm. v. 261. Holtze, Synt. II p. 217 sqq., 221 sq. Krumbiegel l. c. p. 75.

[3]) Cf. Stolz-Schmalz, Stil.³ § 44.

sententiae rogari coeptae (hoc in cap. Catonis oratio pro Rhod. laudatur a G.); IV, 18, 1 *Scipio Africanus antiquior quanta virtutum gloria praestiterit . . . declaratum est*; II, 4, 2 *id vocabulum quam ob causam ita factum sit, quaeri solet*; XII, 14, 1 *'Saltem' particula quam haberet originem quaeque vocis istius origo esset quaerebamus*; X, 18, 3 *Is Mausolus ubi . . . sepultus est, Artemisia . . . ebibit*; XV, 17, 2 *Ea res cum percrebruisset, . . . disciplina desita est* cett.

b) Item obiectum praeponitur ut artior nexus cum antecedentibus efficiatur: *Claud. fr. 16P (G. II, 19, 7) *Ea Lucani ubi resciverunt sibi per fallacias verba data esse*; *id. fr. 19P (G. II, 19, 8) *Id ubi resciverunt propinqui obsidum, . . . eorum parentes . . . provolaverunt*; *C. Gracchus ORF² p. 238 (G. XI, 13, 2) *ea si repudiaritis, abesse non potest quin . . . dicamini.* Plauti aliorumque veterum locos congessit Bach l. c. p. 7, quorum ex numero affero: Stich. 205 *Eos omnes tametsi haud indignos iudico, . . . nihil moror*; Ter. Phorm. 265 *Unum quom noris omnes noris*; Andr. 578; 588 cett., cf. Dziatzko-Hauler l. c., ubi ex una Terentii Phormione quadraginta quinque exempla illius collocationis congesta invenies. *Naevii epigramma (G. I, 24, 2) *Immortales mortales si foret fas flere, Flerent divae Casmenae Naevium poetam.* Cf. *Enn. v. 165 R³ (G. XI, 4, 3). ∾ G. II, 29, 8 *Haec ubi ille dixit, et discessit*; 15 *Id ubi . . . audivit . . ., inquit*; III, 2, 14 *Ista autem omnia . . . cum inveniremus, non dubitabamus*; II, 28, 3 *Eas ferias si quis polluisset . . ., hostiam 'si deo, si deae' immolabat* (e Varrone); cf. XIV, 5, 3; XII, 13, 17 *Ea omnia cum Apollinaris . . . disputavisset, tum ego dixi*; cf. VII, 4, 4; XI, 8, 4; V, 14, 11; V, 14, 6; XV, 10, 2; XV, 31, 5; XVIII, 10, 5; XVI, 2, 1; XVII, 8, 3; XIX, 6, 2; XX, 5, 7 *eos libros . . . cum . . . editos Alexander cognovisset, litteras misit*; III, 3, 4; I, 2, 6 cett.

§ 27. Notio praeposita ubi enuntiati primarii pars est repetitur:

a) in eodem casu[1]) cum pronomine demonstrativo coniuncta: XVIII, 7, 1 *Domitio, homini docto celebrique in urbe*

[1]) Hunc usum et huic similia de quibus paulo infra mihi disserendum est Hertzius appellat 'plautinisch-catonische Leckerbissen' (v. G. a. p. 70).

Roma grammatico, cui cognomen Insano factum est, quoniam erat natura intractabilior et morosior, ei Domitio Favorinus noster . . . inquit; IX, 3, 1 *Philippus, . . ., cuius . . . et cuius . . ., is Philippus . . . afuit* ∾ Cato de a. c. 46, 1 *locum quam optimum . . . poteris . . . eum locum*[1]),

b) excipitur pronomine demonstrativo[2]):

α) intercedente enuntiato relativo: *Claud. Quad. fr. 7 (G. XVII, 2, 14) *Manlius, quem . . . ostendi cuiusque operam . . . sensit, is . . . nemini concedebat*[3]); T. Annius Luscus ORF² p. 104 *Imperium, quod plebes per saturam dederat, id abrogatum est*; Cato de a. c. 20, 1 *Columellam ferream, quae in milliario stat, eam rectam stare oportet*; id. 28, 2 *arbores crassiores digitis V quae erunt, eas praecisas serito*[4]) — G. III, 10, 5 *Dies deinde illos, quibus alcyones hieme anni in aqua nidulantur, eos quoque septem esse dicit*; VI, 2, 10 *Hannibal ille . . . quem ego credidi . . . is me dehortatur*[5]); XVI, 8, 13 *opposita, quae . . . dicuntur, ea quoque ipsa inter sese adversa esse* (sc. oportet); XIII, 5, 5 *vinum, quod tum biberent, non esse id ex valetudine sua*; XIII, 31, 3 *musicam, quae sit abscondita, eam esse nulli rei*[6]),

β) intercedente enuntiato coniunctionali: *Varro ant. rer. hum. XXIII fr. 2 Mi. (G. XI, 1, 4) *M. Terentio, quando citatus neque respondit neque excusatus est, ego ei unum ovem multam dico* ∾ G. XIII, 31, 9 *Pueri in ludo rudes, si eum librum accepissent, non hi magis in legendo deridiculi fuissent.*

---

1) Similiter compositae sunt hae sententiae: XVII, 20, 2 *verba illa Pausaniae inter convivas amorem vice sua laudantis ea verba ita prorsum amavimus*; I, 3, 1 *Lacedaemonium Chilonem, virum ex illo inclutissimo numero sapientium, scriptum est in libris eorum qui . . . mandaverunt eum Chilonem sic locutum.*

2) Plura veterum exempla invenies apud Altenburg l. c. p. 493.

3) De hoc loco cf. Woelfflin, Archiv XV, 1906 p. 15.

4) Ne apud Ciceronem quidem hic usus ita rarus est, certe non tam rarus quam Hertzius l. c. videtur existimasse, cf. Landgraf, Blätter für d. bayr. Gymnw. XVI, 323 A.

5) Cf. *Cato ap. G. XIV, 2, 26 *illi, unde petitur, ei potius credendum esse*; Plaut. Trin. 672; Poen. prol. 119; Men. 678; Hertz, v. G. a. p. 69.

6) Cf. Gorges p. 65.

Similiter substantivum pronomine demonstrativo excipi videmus ubi enuntiatum secundarium non intercedit: G. II, 3, 1 *H litteram, sive illam ... dici oportet, inserebant eam*; XIII, 11, 7 *vina quoque dulciora est invenire eo nomine appellata dictaque esse ea Liberi bellaria*; cf. II, 12, 6; XIII, 9, 6; I, 2, 4; XII, 2, 11; V, 15, 7 ∾ Cato or. VII, 4 *fluvius Hiberus is oritur*; de a. c. 5, 8 *faenum cordum sicilimenta de prato, ea arida condito.* Catonis de a. c. exempla coll. Keil Comm. ad c. 128; Holtze Synt. I p. 357. Cf. Plaut. Poen. 1069 *Pater tuos is erat frater patruelis meus.* Plenius de hoc dicendi usu disseruit O. Rebling, Versuch einer Charakteristik der röm. Umgangssprache², Kiel 1883. Cf. Sjögren, Futurum im Altlatein., Upsala-Leipzig 1906 p. 79 adn.

§ 28. Nonnullis locis enuntiati primarii constructio paulum deflexa est ut substantivum praecedens alio casu excipiendum sit, quam enormitatem optimi scriptores videntur fere vitare: Varro r. r. III, 17, 5 *Quintus Hortensius familiaris noster, cum piscinas haberet magna pecunia aedificatas ad Baulos, ita saepe cum eo ad villam fui, ut ... sciam.* Plura eius rei exempla invenies apud Bach l. c. p. 21 sq. — G. VII, 2, 11 *Sicut lapidem cylindrum si per spatia terrae prona atque derupta iacias, causam quidem ei et initium praecipitantiae feceris, mox tamen ille praeceps volvitur*; II, 7, 6 *Haec sententia quoniam primore aspectu nimis infamis est, super ea ... dicemus*; III, 3, 4 *qui quoniam sunt ... Plautinissimi, propterea et meminimus eos et adscripsimus* — pro *quos quoniam sunt ... propterea et m. et a.*; XIV, 2, 11 *peto ut et ipsum illud, in quo haerebam, et cetera etiam, quae ... forent, faceret me, ut earum rerum essem prudentior*; XII, 13, 18 *Haec deinde particulae quoniam parvo exiguoque sonitu obscuriusque promebantur, addita est tribus omnibus eadem syllaba.*

Sic intellegenda est attractio quae dicitur inversa, cuius figurae in veterum scriptis plurima, apud optimos fere nulla exempla exstant, cf. Bach l. c.; Norden Rh. M. 48 p. 549 sq.; Altenbg. l. c.: *Cato fr. 19, 15 J (G. III, 7, 19) *Leonidas Laco qui simile apud Thermopylas fecit, propter eius virtutes omnis Graecia gloriam ... decoravere monumentis* ∾ G. II, 22, 10 *Tertius ventus, qui ab oriente hiberno spirat* —

'volturnum' Romani vocant —, eum plerique Graeci . . . εἰρόνοτον *appellant*; XIX, 1, 2 *Nox deinde*[1]), *quae diem primum secuta est, in ea fere tota ventus a latere saeviens navem undis compleverat*[2]).

§ 29. E contrario notio quae enuntiato secundario et enuntiato primario communis est in utroque enuntiato hic illic ponitur a veteribus et a Gellio: XIII, 2, 1 *Cum Pacuvius . . . ex urbe concessit, Accius . . . devertit ad Pacuvium*; XII, 5, 3 *Cum Taurus . . . medicos accersisset . . ., inquit Taurus* ∾ Plaut. Bacch. 442 *Quom patrem adeas postulatum, puero sic dicit pater*; lex XII tab. IV, 2 (ed. Schoell p. 125) *si pater filium ter venum duit, filius a patre liber esto*; Plaut. Pseud. 1180; Stich. 287; Cato a. c. 120.

Item pronomen demonstrativum in enuntiato primario et secundario ponitur: G. X, 12, 5 *eum, qui id vas ferat, etiamsi is in medio palam versetur, a nullo videri posse* (sc. ait) ∾ Plaut. Mil. 1083 *si hic prior natus foret quam illest, hic haberet regnum in caelo.* Gell. XIII, 12, 5 *cum hoc legissemus, id ipsum postea invenimus,* cf. XVI, 8, 8; XVII, 13, 11 ∾ Capt. 19 *Is postquam hunc emit dedit eum*; cf. Ter. Hec. 243.

§ 30. Cum illo veterum studio sententiae partem quae gravissima videtur toti sententiae praeponendi ille usus cohaeret, quo in enuntiato primario sententiam, quae ab illo dependet, pronomine vel adverbio demonstrativo indicant. Id quod saepissime in veterum fragmentis quae Gellius nobis tradidit invenimus: *Cato J. p. 67, 3 (G. XIII, 8, 1) *ita aiunt in segetibus in herbis bona frumenta esse*; *Cato V, 47 J (G. VI, 3, 36) *Qui acerrime advorsus eos dicit ita dicit hostes voluisse fieri*; cf. *id. V, 7 J; *id. 19, 9 J (G. III, 7, 15); *id. V, 2 J (G. VI, 3, 16) *sed enim id metuere ⟨ne⟩, si nemo esset homo, quem vereremur, quidquid luberet faceremus*; *Claud. fr. 16 P (G. II, 19, 7) *Ea Lucani ubi resciverunt, sibi per fallacias verba data esse*; *Asellio fr. 7 P (G. II, 13, 5) *orare coepit id quidem, uti se defenderent*; *vetus SC (Gell. IV, 6, 2); *vet. SC (G. XV, 11, 1); *Caecilius v. 130 R (G. II, 23, 10). — Gellius hac quoque in re veteres sequi videtur: V, 3, 7

[1]) Sic libri; *quae* del. Goebel.

[2]) Iam Ebert, l. c. p. 580, hunc locum attulerat.

pollicebantur se id docere, quanam verborum industria causa infirmior fieret fortior; VI, 2, 7 *Hos autem versus Caesellius sic accipit, tamquam si essent dicta* . . .; I, 8, 2 *Ea vox hoc ferme valet tamquam si dicas 'cornum Copiae'*; XVII, 21, 31 *cumque id ei, quod fugerat . . . probrose obiceretur*; XIII, 8, 1 *eximie hoc opinatus est, quod dixit*; cf. VI, 20, 2; V, 2, 4 *id memoratum est, quod . . . animam exspiravit*; VII, 1, 1 *ita dicunt, si esset providentia, nulla essent mala*; I, 3, 4 *Ita lex fuit, ut eum hominem condemnare necessum esset*; I, 1, 3 *ita collegit . . . tanto fuisse Herculem . . . excelsiorem, quanto* . . .

§ 31. Quamquam veteres notionibus sive iteratis sive per pronomen demonstrativum exceptis, ut paulo supra vidimus, sententiae perspicuitatem augere student, tamen permulta sunt, quibus illos, ut iam supra nonnullis locis vidimus, parum accuratos esse appareat. Draegeri[1]) opinionem accusativum subiecti vice fungentem in accusativi cum infinitivo constructione inde a Livii aetate magis magisque omitti coeptum esse, priores autem scriptores, in his etiam Ciceronem, raro illam detractionem adhibuisse opinantis non rectam esse Funckius[2]) docuit, cum ostendit comoediarum quoque scriptores illud subiectum non raro omittere. Quodsi apud Gellium quoque videmus accusativum subiectum saepe omissum esse, certe a comicorum usu hac re non differt, etsi docere non possumus eum illos imitari.

Saepissime illum accusativum Varro detrahit, de quo videas Krumbiegel l. c. E veterum fragmentis quae Gellius nobis tradidit hi loci mihi in promptu sunt: *Calp. Piso fr. 27 (G. VII, 9, 3) *Aedilem, qui comitia habebat, negat* (sc. se) *accipere*; *Plaut. Cas. 692 *altero te occisurum* (sc. se) *ait, altero vilicum*; *Claud. fr. 57 P (G. II, 2, 13) *lictores non ausi sunt descendere* (eos) *iubere.* — Gellii locos congessit Gorges l. c. p. 58, unde videmus omissum esse: *se* decies septies; *eum* septies; *eam* bis; *eos* semel; *ea* semel.

§ 32. Saepissime Gellius anteposito enuntiato relativo pronomen demonstrativum, quo pron. rel. excipi solet, omittit, ut enuntiatum relativum cum primario non satis firmiter con-

---

1) Draeger, H. Synt. II, 454.

2) A. Funck, J. J. 121, 725. Cf. Dziatzko-Kauer ad Ter. Ad. 77.

iunctum sit. Atque hanc libertatem dicendi apud veteres scriptores creberrimam esse notum est. Ex Catonis de a. c. libro Keil in comm. p. 43 magnum exemplorum numerum congessit, Varronis locos collegit Krumbiegel p. 42, Keil Comm. ad Varr. r. r. I, 44, 4. Nec minus saepe ea libertate Plautum et imprimis veterum legum scriptores usos esse constat. Quare Gellium ea re veteres imitari non omni veritatis specie caret, praesertim cum optimi scriptores eum usum raro admittant, ut Hertzius v. G. a. p. 49, vel potius repudient, ut Schmalz[1]) affirmat. Nonnulla mihi liceat exempla proferre Gellii et veterum, quae inter se similia esse nemo negare potest: Gell. VII, 14, 4 *iacturam dignitatis, in quem peccatum est, metui non necessum est*; III, 2, 1 *Quaeri solitum est, qui noctis hora tertia quartave sive qua alia nati sunt, utrum dies natalis haberi appellarique debeat isne . . . an* (fortasse e Varr. rer. hum. XIII fr. 2 Mi. haustum); V, 14, 25 *Nam quas venabatur feras, membra opimiora ad specum mihi ingerebat*[2]) ∾ Cato de a. c. 41, 2 *quos inseres, medullam cum medulla componito*; id. 157, 9 *qui debilis erit, haec res sanum facere potest*; Varro r. r. II, 6, 2 *asinorum gregem qui facere vult bonum, primum videndum ut mares feminasque bona aetate sumat*; Plaut. Persa 478 *nec metuo, quibus credidi hodie, nequis mihi in iure abiurassit.* In universum apud Gellium detractus est[3]):

genetivus	6ies
dativus	6ies
accusativus	semel
acc., qui it. est subi. in. a. c. i. constr.	15ies [4])
ablativus	ter
in summa	31ies.

[1]) Lat. Syntax[3] p. 445.

[2]) Praeter ceteros memorabiles sunt hi loci: G. V, 1, 1 *tum scias et qui dicit et qui audiunt frustra esse* (om. h. l. Gorges). Cf. *Gracch. ORF[2] p. 215 (G. IX, 14, 17) *non est ea luxuries, quae necessario parentur vitae causa* (*si quae* H. Meyer).

[3]) Locos congessit Gorges p. 55 et 58.

[4]) E. g. G. I, 9, 3 *tum qui exploratus ab eo idoneusque fuerat,* (sc. eum) *recipi in disciplinam statim iubebat.*

Ex Varronis de r. r. libris Keil in comm. l. c. affert quindecim exempla. In Ciceronis autem de off. libr. nullum exemplum inveni praeter ea, ubi nominativus detractus est velut I, 6, 18 *quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debent) adhibebit ad considerandas res et tempus et diligentiam,* aut accusativus: I, 3, 10 *Ita quam ille triplicem putavit rationem, in quinque partes distribui debere reperitur.* Cf. I, 9, 28 al., quibus omnibus locis pronomen mente facile suppleri potest.

§ 33. Cum scriptores, ut iam saepe vidimus, totum periodi cursum non praevideant, non raro fit ut constructio enuntiati secundarii antecedentis neglegatur velut[1]: G. XIV, 1, 12 *posse fieri existimabant ut . . . essent, sine quibus . . . observatio perfici non quiret neque eos cernere homines possent*[2]; cf. Varro r. r. I, 47 *In seminario quae surculis consita et eorum molliora erunt natura acumina . . . ea summa integenda binis tabellis* — Gell. V, 6, 14 *Tiberium . . . consultum an civicam coronam capere posset, qui . . . locum non retinuisset eoque loco hortes potiti essent . . . rescripsisse dicit* (sc. Masurius) *eum quoque civica corona dignum videri*: hoc loco oratio deflexa enuntiato primario in rectam viam ducitur. Cf. XIII, 22, 5 *omnia . . . id genus, quibus plantarum calces tantum infimae teguntur, cetera prope nuda . . . sunt, soleas dixerunt* ∾ Varro r. r. III, 16, 12 *Melittonas . . . quos alii melitrophia appellant, eandem rem quidam mellaria,* quem locum afferens Krumbiegelius recte dicit: „v. *eandem rem quidam mellaria* quasi in parenthesi addita esse putari possunt“[3]). Plaut. Amph. 425 *Nam quod egomet feci solus, nec quisquam alius adfuit*; Capt. 555 *Quibus isputari saluti fuit atque is profuit.* Cf. Ter. Andr. 93;

---

[1]) De Frontonis usu cf. Ebert, Synt. Front. p. 346, e. g. Fronto 42, 13 N *id ipsum est quod addubito et consilium posco*; p. 173, 2 N *qui publico vel privato iudicio disceptaret neque tam improba res videretur iudicibus* (sc. quorum).

[2]) Gellii locos congessit Gorges l. c., falso affert G. X, 3, 15 *Si quis est tam agresti aure . . . quem lux ista . . . parum delectat, amat autem priora idcirco, quod . . . is,* nam enuntiatum *amat — quod* . . . non coordinatum est enuntiato *quem — delectat,* sed *si quis* subiectum habet, nam Gellius non illos vituperat qui veteres ament, sed illos qui Ciceronem repudient.

[3]) Krumbiegel l. c. p. 35 sqq.

Ad. 85 *quem neque pudet quicquam, nec metuit quemquam, neque legem putat tenere se ullam*[1]).

§ 34. Item neglectum est enuntiatum temporale contaminatis eis constructionis generibus quae Koordination et Subordination vocamus: G. XVII, 20, 4 *haec ubi lecta sunt atque ibi Taurus mihi . . . inquit*; II, 29, 8 *haec ubi ille dixit et discessit*[2]) ∾ Plaut. Most. 1050 *quoniam convocavi atque illi me ex senatu segregant*; Epid. 217 *quom ad portam venio atque ego illam illi video praestolarier.* Terentium hanc constructionem non iam usurpare affirmat Draeger, qui ex posterioribus praeter Gellium unum Statii locum affert: Theb. II, 26.

§ 35. Similiter Gellius *atque* adhibet ubi nos *cum* inversum exspectamus: G. III, 1, 5 *vix haec dixeram cunctabundus atque inibi . . .*; IX, 11, 6. 7 (Claud. fr. 12 P) *et congrediuntur et consistunt et conserebantur iam manus, atque ibi vis quaedam fit*[3]). Gellium hic Claudii sermonem sequi ex his eius verbis colligere possumus (§ 2) *ea res prorsus miranda sic profecto est in libris annalibus memorata* (sc. Claudii). Similem usum *atque* verbi apud Plautum et Terentium videmus illustratum in Thes. Ling. Lat. s. v. *atque* II B, 4.

§ 36. Duram constructionem offendimus hoc loco: G. V, 6, 7 (ubi Cato compilatur) *Fulvius autem . . . coronis donaverat milites, quia vallum curaverant aut qui*[4]) *puteum strenue effoderant.* — *Cato or. V, 6 J (G. VI, 3, 38) *Sed si honorem non aequum est haberi ob eam rem quod bene facere voluisse quis dicit neque fecit tamen, Rhodiensibus oberit, quod non male fecerunt sed quia voluisse dicuntur facere*; item *Sallustius (qui Catonem imitatur) Cat. 3, 2[5]).

---

1) Plura invenies apud Holtze I p. 389. Sjögren, De particulis p. 111 sqq.

2) Cf. Lorenz ad Most. 1050. Draeger, Hist. Synt. II § 315, 15. Gorges p. 45; quod G. *et* quoque particulam adhibet, cum a Plauto omnibus locis *atque* usurpatum videamus, hoc ut in imitatore nullius momenti est, cf. Thesaurus Linguae Lat. s. v. *atque* II, 13, 5.

3) Editores sic interpungunt: *manus. Atque ibi,* quo mihi sententia destrui videtur.

4) *Qui* VP om. R.

5) Cf. Hertz, v. G. a. p. 54. Tamen cum duo illi Catonis et Sallustii loci non bene cum Gellio conferantur, cum commutatio coniunctionum

§ 37. Veteres scriptores in usu coniunctivi summa libertate uti notum est[1]), quam licentiam ex eodem fonte fluere, quo multas alias proprietates, de quibus iam disserui, apparet. Imprimis, quo maxime nos offendimur, gravem indicativi et coniunctivi mutationem in eis enuntiatis videmus, in quibus quoniam ab eodem enuntiato pariter dependent optimi scriptores eundem modum verbalem adhiberent. Quodsi apud Gellium eandem mutationem offendimus[2]), non existimari potest utpote homo grammaticus neglegenter hoc fecisse. Iam nonnullis exemplis similitudinem quae inter Gellium et Plautum intercedit docebo[3]): Plaut. Pseud. 927 *Sic ego illum . . . in timorem dabo . . . ipsus sese ut neget esse eum qui siet* (coni.) *meque ut esse autumet qui ipsus est* (ind.); Cas. 193 *Quin mihi ancillulam ingratiis postulat quae meast* (ind.) *quae meo educta sumptu siet* (coni.) *vilico se suo dare*; Mil. 974 et 981 *quin tu illam iube abs te abire quo lubet* (ind.) . . . *iube . . . auferre abs te quo lubeat* (coni.) — G. III, 18, 4 *Senatores enim dicit in veterum aetate, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos . . . in curiam vehi in quo curru sella esset . . ., sed eos senatores, qui magistratum curulem nondum ceperant, pedibus itavisse in curiam*; III, 10, 6 *in qua re non id solum animadverti debere dicit quod quater septenis . . . diebus conficeret luna iter suum, sed quod is numerus septenarius, si ab uno profectus, dum ad semetipsum progreditur, omnes, per quos progressus est, numeros comprehendat ipsumque se addat, facit numerum octo et viginti, quot dies sunt curriculi lunaris.* Cf. Hertz l. c.

§ 38. Incongruentiam numeri subiecti et verbi praedicativi videmus his locis: G. XVIII, 1, 15 *in suam uterque sententiam conferebant* ∾ Cato de a. c. 70, 2 *facito ut uterque sublimiter stent.* Plautus semper *uterque* cum plurali numero

---

quod et *quia* non ita gravis appellari possit (cf. Hor. Sat. I, 6, 1—3; II, 2, 89—90. Zimmermann, Gebrauch der Konjunktionen 'quod' und 'quia', 1880, p. 40) puto apud Gellium aut utroque loco *qui* vel *quia* scribendum aut cum codice R *qui* omnino delendum esse.

[1]) Cf. Schmalz, Lat. Gramm. §§ 271, 274.

[2]) Multa ex. affert Hertz, v. G. a. p. 25 adn. 58.

[3]) Cf. Thulin, De coniunctivo Plautino, Lundi 1899.

coniungit[1]), Cicero nusquam[2]); cf. *Cato LI J (G. XIV, 2, 26) *siquis quid alter ab altero peterent*; *ibid. *Nunc si sponsionem fecissent Gellius cum Turio* ∾ G. IV, 1, 6 *si nemo id non nimis barbare fecerimus*[3]). Cf. G. XIII, 5, 2 *omnis eius sectatorum cohors ad eum accedit orantes obsecrantesque*; XVII, 2, 11 *volgus 'in medio' dicit; nam vitium esse istuc putat et, si dicas 'in medium ponere', id quoque esse soloecon putant.* ∾ *Cato or. pro Rhod. (G. VI, 3, 16) *siquis ad rem suam quid fieri arbitrantur, summa vi contra nititur*; *id. 52, 12 J *sed sunt partim qui,* cf. Gell. II, 22, 18 *partim autem sunt, qui*; porro Gell. VI, 3, 7 *cumque partim senatorum de Rhodiensibus quererentur maleque animatos eos fuisse dicerent*[4]); cf. III, 16, 16; V, 6, 27; praef. 6; XII, 2, 1[5]).

§ 39. Denique gravem constructionem offendimus h. l., quo Gellium Varronem, quem hoc in capite laudat, imitari O. Altenburg l. c. p. 515 recte censet: G. III, 10, 9 *pericula quoque vitae fortunarumque hominum*[6]), *quae 'climacteras' Chaldaei appellant, gravissimos quosque fieri affirmat septenarios*[7]). — Similia videmus hoc Varronis loco l. l. V, 113 *purpura a purpurae maritumae colore, Poeniceum quod a Poenis primum dicitur allata*; cf. id. l. l. VII, 110 *in secundis tribus quos ad te misi, item generatim discretis, primum* (sc. librum) *in quo sunt origines ... secundum quibus vocabulis tempora sint notata, ... tertius hic, in quos ...*

---

1) Cf. Langen, Beiträge p. 16, ubi plurima exempla Plautina invenies.

2) Madvig ad Cic. de fin. II, 1, 1.

3) Cf. Hertz ed. mai. ad h. l., qui satis bene hanc lectionem defendit. Iam accedit illud argumentum quod ex clausularum formis depromere possumus (*barbare fecerimus* = —⏑— —⏑—⏑).

4) De *cum* coniunctione cum *partim* coniuncta cf. supra p. 8 sq., ubi docui G. eum usum ex Catone sumpsisse.

5) Cf. Gorges l. c. Cato *partim* cum singulari quoque numero coniungit: *64, 7 J. *cumque partim illorum iam saepe ad eundem modum erat.* Cf. supra p. 8.

6) *Omnium* Hosius, qui tamen in app. crit. codicum lectionem non commemorat. Codd. habent *hominum, omnium* etiam Hertzius ponere mavult.

7) *Pericula — hominum, quos* Salmasius, De ann. climact. p. 120; *gravissima quaeque fieri septenariis* lectio vulgata.

Pars II.

De Ennii Euhemero.

De Enniani Euhemeri fragmentis, quae Lactantius in libro qui Institutiones divinae inscribitur, nobis tradidit, permulta a plurimis viris doctis scripta sunt, qui ea fragmenta ut sunt Ennii esse partim dicunt partim negant. Velut Martinus Schanz[1]), ut priores omittam, illorum fragmentorum genus scribendi esse dicit „eine Prosa, die gar nichts Altertümliches enthält". E contrario Iohannes Vahlen[2]) ea fragmenta Ennii esse censet quidem, sed credit Enni Euhemerum tetrametris scriptum fuisse et aliquando ab homine aliquo docto 'solutis numeris in pedestrem sermonem conversum hac forma divolgatum esse ita ut altera plane periret', atque nonnullas versuum particulas in illis fragmentis sibi videtur offendere. In extrema praefatione Vahlen nonnulla affert, quae aut Ennium indicant aut, ut ipse dicit, robiginem vetustatis habent. Deinde Skutschius (Pauly-Wissowa, Realenzyklopädie 1905 V, 2600 sq.), ubi de Ennii vita et scriptis disserit, hanc rem tractavit. Docuit autem versuum reliquiarum in illis fragmentis nihil inesse, sed probat ea, quae Vahlen ut veterum scribendi genus demonstret, affert atque plura inesse dicit quae si cum eiusdem aetatis scriptoribus compares vetusta esse facile intellegas. Porro aliis de causis, quae melius apud ipsum leges, docet ea fragmenta ut a Lactantio tradita sunt Ennii esse. Nos eum sequi non dubitamus atque miramur, quod Schanzius in tertia editione historiae litterarum[3]) in sua sententia perseverat, quam nulla alia re confirmat nisi verbis L. Muelleri[4]) („ich finde in ihnen [sc. fragmentis] ebensowenig Verse als Archaismen") et Godefredi Bernhardy[5]) (sie müssen

---

1) M. Schanz, Römische Literatur-Geschichte I^2 71.
2) Ennianae Poesis Reliquiae ed. Vahlen², Lipsiae 1903, praef. 221 sqq.
3) M. Schanz, Röm. Lit.-G. I^3, 1907, p. 120.
4) L. Müller, Q. Ennius, 1884, p. 113.
5) Bernhardy, Grundriß der röm. Literatur, Braunschweig⁵ 1872, p. 461.

von späteren überarbeitet sein, „wenn man die glatte Diktion dieser Prosa betrachtet“) et Ottonis Ribbeck[1]) („eine völlig modernisierte Form, welche uns von dem ennianischen Stil keine Ahnung gibt“). Nos illorum opinioni, quos idoneos harum rerum iudices esse minime credimus, ut nostram opponamus non Skutschii solum, verum etiam Leonis[2]) et Marxii[3]) auctoritate permovemur. Iam igitur in unum colligemus, quae praeter verba et verborum formas iam a Vahlenio l. c. allata veterum scribendi genus redolent[4]).

I.
Abundantia sermonis.

A. Notiones cum aliis notionibus coniunguntur, ut abundantiam ortam videamus.

a) Adverbia supervacanea coniunguntur

α) cum verbis: 74 *clam abscondunt*; 76 *clanculum abscondit* ∾ Cato de re milit. lib. 1 J *palam proferantur*; id orat p. 85, 12 J *separata seorsum*; Plaut. Cas. 448 *praemittam prius* (cf. Pars I cap. II § 2, 1);

β) cum enuntiatis secundariis:

1. causali aut finali notione: 67 *Ibi Titan qui facie deterior esset . . ., idcirco . . . concessit*; 71 *Id eius rei causa fecit, uti . . . rediret* ∾ Cato de a. c. 21, 4 *haec omnia eius rei causa fiunt, uti ne conterantur*; C. Gracch. ORF² p. 231 *Cum a servis eorum tam caste me habuerim, inde poteritis considerare . . .*; Cato origg. V, 4 *ob eam rem quod*; id. or. XI, 4 *propterea quod*;

2. temporali significatione: 83 *Deinde Titan postquam rescivit . . ., seducit secum filios*; 132 *Deinde Iuppiter postquam . . . fecit, . . . reliquit* ∾ Cato orat. I, 8 J

---

[1]) O. Ribbeck, Gesch. der röm. Dichtung I² p. 47.
[2]) Kultur der Gegenw. I, 8² p. 338.
[3]) D. L. Z. 1903 p. 2747.
[4]) Cum in priore parte huius libelli ubi de Gellii sermone disserui his similia tractaverim, hic pauca exempla attulisse satis habeo. Paragraphi, quas adieci, priorem partem indicant. Hac in parte exempla prosae orationis scriptorum praefero neque poetarum exempla adhibeo nisi ubi aptiora mihi in promptu non sunt.

deinde postquam; id. 32 *postea ubi irata facta est . . . iubet*; id. de a. c. 156, 4 (§ 2);

b) pronomen possessivum nominibus cognationis additur, id quod optimos scriptores nisi perspicuitatis causa[1]) non facere notum est: 61 *una cum fratribus suis*; 68 *matrem atque sorores suas*; 85 *fratremque suum*; 103 *sui avi*; 182 *cognatis suis*; 137 *filii sui* ∾ Cato origg. VII, 6 J *Dotes filiabus suis non dant*; id orat. VI, 1 J; cf. id. de a. c. 31, 2 *tum erit tempestiva, cum semen suum maturum erit*; Sempr. Asellio IV, 5 P *patrem suum*; id. V, 7 *liberosque suos*.

B. Alterutra duarum notionum supervacanea est ubi coniunguntur inter se:

a) notio nominalis et adverbium:

1. 100 *ibi in eo monte*[2]) ∾ Pacuvius 99 *ibi sub monte*; Naevius 71 *hic in theatro* (cap. II § 2, 3, b, α, 2);

2. 60 *initio*[3]) *primus* (*primus* hic est attributum praedicativum) ∾ Sempr. Asellio fr. 7 P *tum in eo tempore*; Lael. Sapiens ORF² p. 173 *dein postero die*; Cato de a. c. 88, 1 *in die cotidie* (§ 2, 3, b, α, 1);

b) duo adverbia: 73 *deinde posterius*; 91 *post haec deinde*[4]) ∾ Ennius ann. 11 *post inde venit*[4]); Cato de a. c. 131 *postea postremo*; id. p. 35, 15 J *inde porro*; XII tab. (ap. Gell. XX, 1, 5) *post deinde*; Varro (Gell. III, 10, 7) fr. 255 Bip. (§ 7b);

c) duo verba: 61 *instituit atque paravit*; 79 *celant atque abscondunt*[5]) ∾ Cato fr. 95 a P *augescere atque crescere*; P. Corn. Scipio Africanus min. ORF² p. 183 *perdidisti atque absumpsisti*; C. Gracchus ORF² p. 298 *adpetere atque velle*; saepissime apud comicos hoc abundantiae genus invenitur (§ 6).

---

1) Quare huc non pertinet: 84 *filios suos*.

2) C. F. W. Müller, Festschrift p. 549, hunc locum iam attulit.

3) Cf. Varro r. r. II, 4, 9 *initium primum*; id. l. l. X, 11 *initia prima*. Krumbiegel l. c. p. 81.

4) Cf. Vahlen ed. praef. CCXXIV.

5) Cf. Plaut. Merc. 360 *Nequiquam abdidi, abscondidi, abstrusam habebam (puellam)*.

C. Eadem notio repetitur:

a) ubi enuntiatum secundarium cum primario coniunctum est, eadem notio in utraque enuntiatione ponitur: 69 *Titan . . . concessit ei ut is regnaret* ∾ Plaut. Rud. 1388 *Id ego continuo huic dabo adeo me ut hic emittat manu*; 69 *pactus est cum Saturno uti si quid liberum virile secus ei natum esset, ne quid*[1]) *educaret* ∾ Cato de a. c. 151, 4 *si herbae natae erunt, facito ut ab herbis purges*; Plaut. Mil. 1083 *si hic pridie natus foret quam illest, hic haberet regnum in caelo*; ibid. 1053; 1231 cett. Plurima exempla invenies apud Bach l. c. p. 8 et 9 (cap. III § 29).

Huc aliud abundantiae pronominis genus mihi videtur pertinere. Nam quamquam optimi scriptores pronomen *is,* si apud alterum verbum eundem casum haberet quem antea vel quem substantivum habet, fere semper omittunt vel hanc structuram alium in modum vitant[2]), tamen in Euhemeri fragmentis ut apud veteres saepissime illud pronomen poni videmus: 74 *Iovem clam abscondunt dantque eum Vestae educandum*; 75 *Neptunum . . . Ops parit eumque clanculum abscondit*; 85 *fratremque suum Saturnum atque Opem comprehendit eosque muro circumegit et custodiam his*[3]) *apponit*; 136 *eumque Curetes . . . curaverunt decoraveruntque eum* ∾ Calp. Piso fr. 27 P *Cn. Flavius . . . scriptum faciebat isque . . . apparebat . . . Cn. Flavius dicitur . . . scriptu se abdicasse isque aedilis curulis factus est*; similia hoc loco videmus (ibid.) *Cn. Flavius . . . sellam curulem iussit sibi afferri, eam in limine apposuit*; cf. Cato fr. 33 P; Calp. Piso fr. 19;

b) porro tota sententia iteratur: 103 *idque quod supra mundum erat, quod aether vocabatur, . . . nomen indidit, idque Iuppiter quod aether vocatur . . . caelum nominavit* ∾ Cassius Hemina fr. 37 *in eo lapide libros insitos fuisse, propterea arbitrarier non conputuisse et libros citratos fuisse, propterea arbitrarier tineas non tetigisse.*

---

[1]) *Quid* om. Par. S. Pal; *id* malit Brandtius.

[2]) Cf. Nägelsbach-Müller[7] p. 289. Krebs-Schmalz, Antibarbarus[7] s. v. *is.*

[3]) Etiam pronomen *his* optimi scriptores hoc loco omitterent. Cf. Nägelsbach-Müller l. c.

II.
Singulae notiones priscum in modum conectuntur (§§ 9—11).

a) Asyndeton bimembre bis invenitur[1]): 120 *Jovi Ataburio Iovi Labryandio*; 134 *leges mores* ∾ Cato de a. c. 83 *Marti Silvano*; id. 134, 1 *ture vino.* Plura invenies in Keilii comm. ad Catonis de a. c. p. 110 (§ 9).

b) Extremum plurium membrorum antecedentibus *et* particula ab optimis scriptoribus fere non adiungi, a prioribus saepe adiungi supra vidimus (§ 10c). Cuius usus in Euhemero unum exemplum legimus: 122 *item Iovi Laprio, Iovi Molioni, Iovi Casio et quae sunt in eundem modum* ∾ Cato de a. c. 2, 7 *boves vetulos, armenta delicula . . . servum senem, servum morbosum et si quid aliud supersit vendat*; ib. 155, 1; 44; 61, 1; 84[2]).

c) Neque coordinatio notionum tam saepe apud recentiores quam apud veteriores scriptores invenitur (§ 11, 1); Euhemeri exempla haec sunt: 138 *in Creta in oppido Cnosso*; 112 *eo ad eum*; huc 100 quoque pertinet *ibi in eo monte,* de quo iam supra locutus sum ∾ Cassius Hemina fr. 23 P *in area in Capitolio*; Varro l. l. VI, 27 *in Capitolio in Curia Calabra*; Calp. Piso fr. 27 *eo in conclave postquam introiit*[3]); Ter. Hec. 238 *eo ad eam*; Pl. Epid. 293 *huc ad te.*

III.
De sententiarum nexu.

Si rationem spectamus qua singulae sententiae inter se conectantur, mirum in modum videmus fere omnem periodorum compositionem in Euhemeri fragmentis neglegi.

---

[1]) Dissolutionis trium membrorum exemplum (129 *diligeret augeret ornaret*) quod Vahlen affert non esse signum vetustatis censeo. Cf. Sjögren, De part. cop. p. 133—143. Leo, Anal. Plaut. 3, 1906. Diels, Arch. f. Gesch. d. Philos. 10 p. 232. Festschrift f. Th. Gomperz p. 8 adn. 3.

[2]) In Euhemeri fragm. *atque* particulam saepe adhiberi iam Vahlen ed. praef. p. CCXXIV commemoravit, id quod e veterum more esse Catonis praecipue exemplis in priore parte huius libelli docui (§ 10a). Singulos Euhemeri locos enumerare vix opus esse existimo.

[3]) Plurima huius coordinationis veterum imprimis exempla affert C. F. W. Müller, Festschrift p. 546 sqq.

a) Plurimae sententiae particulis tantum copulativis inter se coniunguntur, id quod hoc loco nos offendit: 132 *Deinde Iuppiter postquam quinquies terras circuivit omnibusque amicis atque cognatis suis imperia divisit reliquitque hominibus leges mores frumentaque paravit multaque alia bona fecit, ... monumenta ... reliquit.* Hanc cumulationem particulae *que* vetustatis esse signum docuit Woelfflin Sitzber. d. k. b. A. d. W. 1890 p. 297 (cf. § 10b).

b) Ab optimorum usu hi quoque loci abhorrent ubi enuntiationes, quas illi subiungerent, *et* particula adiunguntur: 86 *eosque muro circumegit et custodiam his apponit*; 125 *gaudebant ergo illi et huic imperio eius obsequebantur et ... ritus annuos ... celebrabant*; 130 *religionem cultus sui per orbem terrae seminavit et exemplum ceteris ad imitandum dedit*; 136 *in Creta vitam commutavit et ad deos abiit*; 138 *et sepulcrum eius est in Creta in oppido Cnosso et dicitur Vesta hanc urbem creavisse* ∾ Cato de a. c. 6, 2 *hostus nequam erit et ferundo ... peribit et muscus ruber molestus erit*; 5, 4 *et id faciat saepe ... et illi animo aequiore facient*; cf. origg. III, 1; V, 5; orat. LXXX; lib. ad. Marc. f. 1; C. Gracchus M.[1] p. 117; Cass. Hem. fr. 23; 27; 37.

c) Enuntiata secundaria raro adhibentur. Ut tamen artiorem inter singulas sententias nexum efficeret hic scriptor idem fecit quod supra apud Gellium conspeximus:

1. saepissime pronomen demonstrativum praecipue initio sententiarum adhibetur (§ 17), quo usu fit ut magna inter eum et reliquos illius aetatis scriptores similitudo intercedat, id quod ex his locis intelleges: 61 *is id ... regnum ... paravit*; 71 *id ... fecit*; 80 *haec ... eius stirps* (sc. est); 81 *in hunc modum traditum est*; 100 *eo ... ascendit*; 101 *in ea ara ... sacrificavit*; 102 *in eo loco suspexit*; 103 *idque ... erat*; 104 *idque ... nominavit*; 105 *eamque ... adolevit*; 110 *eo ... veniebat* ∾ Cato 19, 10 J *vulnus capiti nullum evenit, eumque ... cognovere. eum sustulere, isque convaluit saepeque postilla operam ... strenuam perhibuit*; cf. Calp. Piso fr. 27; Cass. Hemina fr. 13 P *eaque ... praemercarentur*; id. fr. 25 *idque admiratum esse gavisi.*

Imprimis vero hic locus commemorandus est: 103 *idque quod supra mundum erat, quod aether vocabatur de sui avi*

nomine Caelo nomen indidit i d q u e *Iuppiter . . . caelum nominavit,* quam coordinationem per *idque — idque* effectam posteriores scriptores certe vitarent qui sic fere scriberent: *id, de avi Caeli nomine nomen ut ei inderet, . . . caelum nominavit.* Quamquam reliquorum scriptorum exemplum cum illo loco prorsus congruens mihi in promptu non est, his aliquatenus rem illustrari arbitror: Cato de a. c. 2, 1 *pater familias* u b i *ad villam venit,* u b i *larem familiarem salutavit, fundum circumeat*[1]); cf. Calp. Piso fr. 19 P *L. Tarquinium collegam suum . . . metuere eumque orat, uti sua voluntate Roma concedat* — pro *L. Tarq. collegam suum, quem, quia Tarq. nomine esset, metuebant, orat uti* — vel *L. Tarq. . . . cum eum . . . metuerent, orat.*

2. Item ut pronomen demonstrativum adverbia demonstrativa vel comparativa sententias deinceps adiungunt: 64 *exim*; 65 *ibi*; 67 *ibi*; 72 *tum*; 73 *deinde*; *tum*; 75 *item*; 76 *ad eundem modum*; 78 *ibi*; 80 *deinde*; 83 *deinde*; 99 *deinde*; 101 *ibique*; 120 *sic*; 122 *item*; 123 *in eundem modum*; 132 *deinde.* Quibuscum conferas Cato de a. c. 76, 1 *deinde*; 2 *postea*; *inde*; *ibi*; *inde*; 3 *deinde*; *postea*; (*id*); *postea*; *ibi*; 4 *deinde*; *item*; *postea*; *tum*; cf. id. 29; id. orat. 12; Cass. Hem. fr. 9.

c) Etiam inconcinnitates veterum sermonis in Euhemeri fragmentis offendimus:

1. attractio quae dicitur inversa (§ 28) bis invenitur: 72 *tum Saturno* f i l i u s *qui primus natus est eum necaverunt*; 103 i d q u e[2]) *quod supra mundum erat, quod aether vocabatur, de sui avi nomine Caelo nomen indidit.* Si parvum fragmentorum ambitum spectamus atque consideramus apud veteres illam attractionem saepissime inveniri, apud urbanos scriptores perraro, ut Bachius docuit l. c. p. 35, hi duo loci non parvi momenti videntur esse. Ex magno exemplorum numero, quae Bachius l. c. congessit, haec attulisse satis habeo: Cato origg.

---

[1]) Cf. Altenburg l. c. p. 510.

[2]) Huius loci structionem nullam mutationem desiderare Vahlen in app. crit. Plauti et Terentii ex. allatis bene docet.

I, 4 J *agrum quem Volsci habuerunt, campestris plerus aboriginum fuit*; id. IV, 7 *Leonidas Laco, qui simile apud Thermopylas fecit, propter eius virtutes omnis Graecia gloriam . . . decoravere*; id. XXXII, 2 *agrum quem vir habet tollitur.*

2. Cum illa quae vocatur attractione arte cohaeret adaequatio rei. Nam cum scriptor totum orationis cursum memoria non retineat, subiectum et praedicatum vel duo verba quae ab eodem subiecto dependent non eundem numerum habent, quam inconcinnitatem apud urbanos scriptores pro summo eorum elegantiae studio item raro invenies (§ 38): 111 *item si quis quid novi invenerat, quod ad vitam humanam utile esset, eo veniebant atque Iovi ostendebant* ∾ Cato origg. V, 2 J *si quis advorsus rem suam quid fieri arbitrantur*; orat. 51 *si quis quid alter ab altero peterent*; cf. ibid. idem; Cato de a. c. 70; Cass. Hem. fr. 9; Claud. Quadr. fr. 85.

d) Iam mihi liceat hunc locum proferre, qui propter singularem sententiarum coordinationem, ubi *si quis* verbum primum deinceps locum optinet, mirum in modum legum veterum sermonem olet: 110 *ad eum in ius veniebant, si quae res in controversia erant, item si quis quid novi invenerat . . . Iovi ostendebant*; cf. Cato origg. V, 5 J *si quis illud facere voluerit, mille minus dimidium familiae multa esto; si quis plus quingenta iugera habere voluerit, tanta poena esto; si quis maiorem pecuum numerum habere voluerit, tantum damnas esto.*

e) Apud veteres insolenter singulae sententiarum partes per *item* introducuntur, quae per se stant, ut reliquae partes ex sententia, quae antea lecta est, supplendae sint: 119 *sic constituta sunt templa Iovi Ataburio, Iovi Labryandio . . . Item Iovi Molioni, Iovi Casio et quae sunt in eundem modum* ∾ Cato de a. c. 90 *ubi prensus est, ei fabam coctam tostam primum dato, ex ore in eius os inflato; item aquam*; id. praef. 1 *est interdum praestare mercaturis rem quaerere, nisi tam periculosum siet, et item fenerari.*

Finem faciant duo Euhemeri loci, in quibus παρήχησις quae vocatur priscam scribendi rationem testatur: 137 *Curetes filii*

sui curaverunt[1]; ibid. *curaverunt decoraveruntque* ∾ Cato origg. V J *cognobiliorem cognitionem*; id. orat. II, 23 *pedetemptim temptabam*; id. orat. III *asperrimo atque arduissimo aditu*; id. 41, 1 *patrem primum postea patronum nomen habuere*; cf. orat. X; VIII; II; XVII; XL (bis); LXV; LXII; LXXX.

[1]) Hunc locum iam Vahlen l. c. p. CCXXIV attulit.

Vita.

Natus sum Fritz Hache die VIII. mense Decemb. anni MDCCCLXXXIII. in oppido Posnaniae Kosten parentibus Carl et Elisabeth e gente Schulz, quos adhuc superstites esse gaudeo. Posteaquam primis litterarum elementis in oppidis Kosten, Sprottau, Meseritz sum imbutus, parentes Vratislaviam transmigrantes ad Iohanneum me deduxerunt a. MDCCCXCVIII. Vere a. h. s. III. maturitatis testimonio instructus huius academiae civium numero sum ascriptus. Per octo semestria interfui scholis horum virorum doctorum:

Baumgartner, Bobertag, Cichorius, R. Foerster, Freudenthal †, Herz, Hintze, O. Hoffmann, Kampers, Kaufmann, Ladenburg, O. E. Meyer, Norden, Partsch, Semrau, Skutsch, Wendland, Zacher, Ziekursch.

Seminarii philologici *Foerster, Norden, Skutsch, Wendland* praesidibus sodalis fui per duo semestria.

Cum praeceptoribus illis tum *Francisco Skutsch* qui opera et consilio benignissime me adiuvit gratias ago vel maximas.

